

PETRI

GODOFREDI CARCASONENSIS,

IVRECONSVLTI, PROCVRATORIS REGII IN FIDE,

Notamenta in proœmialia Iustiniani Codicis.

In quibus sublimioris & occultioris Iurisprudentiæ, adque uniuersum Ius ipsum ac ipsam philologiam pertinentia multa scitu dignissima quisque comperiet haud insuaui lectione.

בִּמְגִלַּת סֵפֶר כָּתוּב עָלָי לַעֲשׂוֹת רְצוֹנְךָ אֱלֹהַי

γενηθήτω τὸ θέλημά σου.

Cum Indice copioso ac fideli rerum atque sententiarum insignium.









Ex legat.

Illmi Cesini

LVGDVNI,

APVD THEOBALDVM PAGANVM.

1552

Cum Priuilegio Regio ad Sexennium.

C A V T V M est Autori diplomate Regio, ut hoc opus Notamentorum in Procemialia Iustiniani Codicis, *&* *alterum* De Amoribus, *diligenter perlecta, & tota pia inuenta & adprobata generali Apostolico & Regio Quaestori Fidei, solus excudere ac distrahere possit per se uel alium ad sexennium: & si quis alius per id tempus idem audeat, ipsis Fisco addictis Codicibus, eum insuper mulctandum: alio quocunque non obstante diplomate.*

A V T O R adlegit sibi excudendis hisce suis Operibus ad Sexennium Theobaldum Paganum, typographum ac bibliopolam Lugduni: vti & hinc adparet, & ciuili pacto constat.



Amplissimo Domino, D. Ioanni Bertrando, ILLVSTRISSIMI GALLIARVM REGIS NOSTRI *Procancellario meritissimo*,

PETRVS GODOFREDVS, *CARCASONENSIS*, *Iureconsultus*

Εὖ πράττειν καὶ χαίρειν ἐν τῷ κυρίῳ.



TE *VIRVM* maximum, & togæ splendore clarissimum, nempe principalium, & verò diualium sacrorúmque sigillorum, quibus ipsa demùm Regia placita firmantur, custodem, ἱεροσφραγιδοφύλακα dicere licet, σύμβουλον ἀγαθὸν, χρησιμώτατον, καὶ τυραννικώτατον ἁπάντων κτημάτων, vt Isocrates habet, deligere visum est, ô bone, cui hæc Notamentorum initia dicaremus, intereà dum otium nacti fuerimus amplius, quo cætera quoque, imprimis similia, quæ in vniuersum proximum priorem Codicis librum à nobis dudum exarata sunt, explicemus. Nec prolixius summarum laudum tuarum prosequimur agmina: quæ magis patent omnibus, quàm à nobis queant demonstrari. Nec nos, nostrúmve opus commendamus. quod tuum esset magis & aliorum, siquidem mereretur vllo modo commendari, aut sanè ob id bene velle nobis planè, ac benefacere, ceu infimis summo indigentibus, vt omnibus mortalibus Deo, ipso vtique, cùm omnibus affluenter det, & nemini improperet, summè bono, atque ideò haud dubiè imitando ab hominibus, maximè Christianis, & summis, tanquam filijs charissimis, & excelsis, vt sacra monent. Dein nec alijs vllis te remorabimur commentis, sanè maximè, vt apparet, vndeunde multis & maximis occupatum. tantum semel & omnino testabimur, nos tibi addictissimos, obsecrantes optimum & omnipotentem Deum, vt semper illos tuos in vniuersa Republ. Christiana & nostra magnificentissimos conatus & voluntates sua ope adiuuare dignetur. cui denique, ac in eo tibi, omníque operanti bonum

gloria, honor & pax: opus Iustitiæ; pro qua certando vsque ad mortem itur ad vitam, scopum scilicet nostrum, Iesum Christum omnium Dominum. Bene vale heros dignissime, nostri ceu tui clientis quæso memor. Carcasonæ quarto Non. Decemb. Ann. Domini 1 5 5 1.

Index copiosus ac fidelis rerum & sententiarum maximè insignium, quæ hocce opere Notamentorum ad Prœmialia Iustiniani Codicis, continentur.

B

C

INDEX.

INDEX.

INDEX.

INDEX.

Pani

INDEX.

FINIS.



PETRI GODOFREDI, IVRECONSVLTI, CARCASONENSIS PROCVRATORIS REGII IN FIDE,

Notamenta ad Procemialia Iustiniani Codicis.

INSCRIPTIO TOTIVS CODICIS.



1 *N nomine Domini nostri Iesu Christi.*) Passim inuocantes Deum, † eius opem implorantes, quem posse credimus omnia, quẽ beneficum experimur, dicimus: In nomine Domini, sæpe scribimus: In nomine Domini: plerunq; legimus: In nomine Domini. id tamen ipsum neutiquàm intelligimus satis. Iustinus quidem philosophus, & martyr clarissi-
2 mus, in admonitionis Gentium libro, nequaquàm Deo † proprium nomen aptari ait, quippe quo nullus fuit prior, qui nomen imponeret, neq; ipse seipsum nominare oportere constituit, vnus & solus existens, vnde in sacris, maximè per Esaiam, inquit: אֲנִי אֵל וְאֵין עוֹד: ídque fassus videtur Ethnicorum Poë-
3 ta prudentissimus, vbi † ait:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη: εἷς κοίρανος ἔσω.

Et pleriq; alii similiter, vel Mosis scilicet libris edocti. Ait verò etiam conuenienter Sixtus Pythagoreus in suo enchiridio: Nomen Dei non quæras: quia nec inuenies. quia omne, quod nomine appellatur, à meliore nomen accepit: vt alius quidem vocet, alius autem audiatur. Quis est ergo, qui nomẽ imposuit
4 Deo? † Deus autem, non nomen est Dei, sed indiciũ quod sentimus de Deo. Nihil ergo de Deo, quod nõ licet, quæras. Deus Sapiens, lux est incapax cõtrarij. At igitur imposita sunt Deo

 nomina

5 nomina,non à † priori,vt aiunt noſtri Theologi, ſed à poſteriori & effectu: cuiuſmodi multa recenſet in Zenone Laërtius.& de diuinis nominibus opus inſcripſit magnus Dionyſius. & multa inter neotericos autores doctiſsimos tradidit Henr.Corn.Agrippa occultæ Philoſophiæ lib.3.cap.11.Et numerantur decem Dei nomina à beato Hieronymo in epiſtola ad Marcellam,& inter cætera illud,quòd יה dicitur,& eſſentiam denotat, quæ propriè Dei ſolius videtur. nec diſsimile eſt τετραγράμματον illud יהוה quod vt nimium admirabile Iudæis ineffabile eſt,& pronuntiatur per אדני ne partem nõ habeant in futuro ſeculo. quanquam eiſdem eſt nomen Dei altius אהיה אשר אהיה quod efferunt vti ſcribitur. Refertúrque in Arabum monumentis,Muhamedem reſpondiſſe eſſe decem & ſeptem nomina Dei inter imum terræ & infernum: quæ ſi interpoſita non eſſent,erumpens æſtus inferni totũ Mũdum conſumeret. verùm certè etiam, vt cecinit Anticlaudianus
6 lib.5.ipſe † Deus in ſe capit omnia rerũ nomina,quę non ipſa Dei natura recuſat.cuncta tamen mediante tropo,dictãte figura ſuſtinet,& voces puras ſine rebus adoptat. Et quidem primarium Dei nomen eſt Bonum,vt aiunt S. Dionyſius, & Damaſcenus orthodoxæ fidei lib.1.cap.12. quod & anteà Trimegiſtus ille ſacer Muſis putatus, dixit in Pimandro, addens alteram Dei appellationem Patrem eſſe, quia omnia gignat: atq; ideò nomina habere omnia,& nomen habere nullũ, Cæterùm, Deus,nomen eſt cõmune toti Trinitati,vt docet Petrus Lombar.ſentẽt.lib.1.diſt.2.& id eſt, quod dicitur nomen ſuper omne nomen datum Chriſto, homini propter nos facto:vt tradit idem lib.3.diſt.18.quorum enim vna eſt eſſentia, vnum eſſe nomen oportet.Trinitatis autem perſonarum diuinarum,quarum altera eſt Chriſtus, filius Dei viui,vt habet elegans confeſsio Petri, vnam eſſentiam eſſe conſtat.id quod apertè perhibet diuinus Ioannes epiſtola prima,cap.5.in hęc verba, ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατήρ, ὁ λόγος, καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς, ἕν εἰσι. Propterea iuſsit Deus nõ in nominibus, ſed in nomine baptizari:vt (inquam)eſſentiæ deſignetur vnitas, vt docet Theophilactus in Matth.cap.28.& Turre cre.in c.ſi
7 hæreti.de conſ.diſt.4.Dicitur autem † Deus etymo vario,cõmuniori, ἀπὸ τοῦ δέους. id eſt timore: quòd illo nihil ſit maius,

quod

quòd ab omnibus timeatur,& neminem ipse timeat,vt refert
Ioachi.Fortius in char.hócq; censent Archidia.in c.æstimant
quidam.11.q.3.& Rosellus Areti.in autenti.ingressi.col.2. in-
frà de sacro.eccl.& Alberic. Rosatus in dictionario : vbi &
pleraq; alia nomina cõmunia toti Trinitati retulit. Et sanè
8 prçter dicta nomen est Deo † huic proximum, Dominus.
quod hebreis dicitur אדני & non ab re dicit Origenes in Eze-
chiel.homil.4.quod Adonai,prius nomen Dei est : quòd in-
terpretatur naturaliter Deus. Porrò apud Ieremiam. 16. ca-
pite dicitur:Nomen mihi Dominus. Esai.42. Ego Dominus:
hoc est nomen meũ.44.& seq. Ego sum Dominus, faciens
omnia.Psalmorum.61.Et Iudith vlt.Dominus nomen est illi.
Amos.4.Dominus Deus exercituum, nomen eius.& 5. Do-
minus nomen est eius.Idem cap.vlt.& inde beatus Augu.in
Cõment.Psal.9.scribit nomen ipsum Dei,nunc vsquequaque
vulgatum est,sed cognitio nominis est,cùm ille cognoscitur,
9 cuius est nomen.non enim † nomen propter se nomen est, sed
propter id,quod significat.dictum est autẽ:Dominus nomen
est illi,quapropter qui libenter Domino famulum subdit,co
gnouit hoc nomen.scribit & beatus Chrysostomus.2.exposi-
tione in Matthæum,homil.35.& homil.4.in Anomæos, solũ
Deum verè & excellẽter,& Dominum,& principẽ nuncupa
ri,abusiuè autẽ homines.vnde in hac inuocatione diuina post
quàm dictũ est: In nomine, animaduertere licet vocẽ Domi-
10 ni.neq; enim † aliud inuocare nomen Dei,& inuocare nomen
Domini Dei,est:sicuti etiã tradit d.Fulgẽt.lib.2.ad Monimũ.
Sequitur etiam, *Nostri*. sicut & susceptor noster alibi di-
11 citur. propriè † quippe Deus omnium non dicitur susce-
ptor esse, quando carnem pro salute hominum suscepit. at,
noster bene dicunt filii crucis : quoniam tantùm ipsorum
est,qui ad eius fidem venire meruerunt : vt docet Cassiodo-
rus in Psal.45. neque verò aliorum est, qui fidem huiusmo-
di nõ admiserũt:extra quam,saluari neminẽ consentaneũ est.
Idque latè tradit Eusebius libris De præparatione euange-
lica.Ioannes Trithemius ad Maximilianum Imperatorẽ. q.2.
Bernardus Lauinetus vno libro, Quòd vna tantùm bona
sit secta,edito.& Petrus Montius de veritate vnius legis,mul
12 tis voluminibus.Itaq; † dicemus similiter, Dominum ab om-

A 2 nibus

nibus ſuum,non verè dici quodammodo Deum,ſiue propriè, ſiue bene, ſeu tam aptè; ſed à fidelibus quidem, vel maximè: quemadmodum ait Hermanus, Colonienſis epiſcopus, in inſtitutione compẽdiaria doctrinæ Chriſtianæ ad ſymbolum fidei,vbi eſt ſimiliter: Dominum noſtrum:omnium quidem Dominus Deus,qui & Chriſtus, ſed peculiari ratione Chri-
13 ſtus dicitur † Dominus credentium ſeu electorum. quanuis non tam propriè Dominus tantùm fidelium dicitur Deus, quàm Saluator. vnde beatus Auguſtinus in expoſitione cantici Mariæ, inquit eam dixiſſe: In ſalutari meo. quia omnipotentia, qua vniuerſæ creaturæ ſuæ dominatur Deus, Dominus omnium eſt,ſed pietate qua quoſdam tantùm, ſed non omnes ad vitam reparat, ſaluator omnium non eſt. nam dominationem eius ad omnes æqualiter reſpicere, bonitatem ad quoſdam tantùm. & hoc ſcilicet, ſecundum quod ait ad Romanos Apoſtolus: In hoc Chriſtus mortuus eſt,& reſurrexit,vt & viuorum & mortuorum dominetur.& ad Timotheum: Speramus in Deum viuum,qui eſt ſaluator omnium hominum. vt ibi gloſſa habet, potentia, maximè fidelium,efficacia. nec ab re retulit Petrus Lombardus ſentent. lib.1. diſtinctio.2,Deum,quidem nomen eſſe naturæ,Dominum,no-
14 men poteſtatis, quanquàm etiam Deus, nomen † ſecundum etymologiam ſuprà dictam, pertinet ad omnes, qui timent Deum, etiam ſi peſsimi ſint: vt dæmones mali, quos timere Deum ac contremiſcere beatus Iacobus ait. Sed & id non tam videtur, quantum de iis, qui timent, vt oportet, eo,inquam,timore, qui eſt initium ſapientiæ,& finis modeſtiæ,vt ſacra habent. Tandem hîc eſt: *Ieſu Chriſti.* quòd nomen Do-
15 mini ſit,† & eius,qui naturalis Dominus,& rex noſter eſt:vt Innocen. ſcripſit in cap. licet ex ſuſcepto. de foro competen. Dominus omnium eccleſiarum, Rex regum,& Dominus dominantium,ſicuti tradit Cardina.Alexand.in capit.quanuis. 21.diſtinct.& cap.ſi papa.diſtinct.40.Heſychius presbyter libro in Leuiticum 7. nomen Domini, inquit,filius euidenter dicitur: quia quemadmodum nomen manifeſtat vnumquenque,qui non videtur,ſic & Chriſtus apparens,cognoſci fecit patrem in ſemetipſo,quanuis inuiſibilem. vnde ſcilicet dicebat Ioan.14.ca. Philippe, qui videt me, videt & patrem.Item

Caſsio

Caſsiodorus in pſal.39. nomen Domini, inter cætera, Salua-
15 tor æternus eſt. Et illi,ait,† nomen Domini inuocare dicuntur, & aliquid in nomine Domini incipere, qui ſe non ſuis meritis,ſed ab eo per eius gratiam poſtulant adiuuari.Sicque Ioannes Driedo de ſcripturis ſacris & dogmatibus eccleſiaſticis, lib.3.dicit: In nomine Domini fieri,cùm dicitur quicquam,intelligi nota,In,efficientem cauſam,denotante,virtute verbi Dei nominata, inuocata, profeſſa id fieri. Eſt & nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, Veritas.vnde præceptum: Non accipies nomen Dei tui in vanum, vt docet beatus Auguſtinus in ſermone de tempore 95. eodem autore in pſal.91. Fama Chriſti,nomē ipſius dicitur. vnde dicimus paruũ fuiſſe nomen Chriſti,antequàm pręclarè diffamaretur:nũc verò magnum.proinde dictũ pſal.98.aut 99.Hebræis יודו שמך גדל,& nomen Dei, gloria Dei dicitur. vnde, vt pſallas nomini Domini præcipitur,vt fixum ſit apud Deum nomē tùum:id eſt, quæras gloriam Dei,non tuam:nomen ipſius, non tuum: vt ipſe tuam quærat, & conſeruet gloriam, noménque tuum: ait Auguſti. in pſal.91.Cæterùm, filii nomen, ſuum & pater dicit,non immeritò.quemadmodum ſi quis rex ipſe filii ſui pingat imaginem, iuſtè ſuam dicit. quoniam ipſe pinxit, & quoniam filii eius eſt. ſic & Ieſu Chriſti nomen, quod per vniuerſum mundum glorificatur in eccleſia, ſuum confitetur pater, & quoniam filij eius eſt, & quoniam ipſe ſcribens id ad ſalutem dedit hominum, vt beatus Ireneus habet
16 lib.aduerſus hæreſes quarto,cap.33.Hoc etenim† nomen, Ieſus Chriſtus,ſcilicet nomen magnum eſt, excelſum, admirabile,iucundum,vtile ſupra quàm dici poſsit: ideóq; reuerendum admodum. Lucæ primo Gabriel angelus ad Mariam virginem eius matrem, καὶ καλέσεις inquit, τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν. quo nomine & Ieſus filius Syrach, Eccleſiaſtici libri autor vocatus eſt,& Ieſus filius Ioſedech,vt habetur 3. Eſd.5. de quo ſæpe apud Zachariam:& Auſes Naue filius: quoniam de Aegypto in terram promiſsionis ſaluauit Dei populum: vt adnotauit Rufinus in expoſi.ſymboli:& dictũ Eccl. 46.Fortis in bello Ieſus Naue ſucceſſor Moyſi in prophetis: qui fuit magnus ſecundum nomē ſuum maximus, in ſalutem electorum Dei: expugnare inſurgẽtes hoſtes,vt cõſequeretur hęreditatē

A 3 Iſraël

Iſraël. Apoſtolus ad Philippenſes ſcribens ſecundo cap. Deus
exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne 1
nomen: vt in nomine Ieſu, omne genu flectatur, πᾶν γόνυ κάμψῃ,
non dicit, vnum vel alterum, vt nõ tam aptè, quàm mulieres,
viri faciunt. Item, cæleſtium, inquit, terreſtrium, & inferno-
rum. Nec abludit Ariſtoteles libro De cauſis, dicens cauſam
17 primam † ſuper omne nomen eſſe, & ſuperiorem eſſe, & al-
tiorem eſſe: cum eo quoq; maximè conueniẽs, quod in initio
diximus, Deo nomen nõ eſſe. deinceps Eſaias cap. 12. Memen-
tote quoniam excelſum eſt nomen eius. & cap. 57. Sanctum
nomen eius in excelſo, & ſancto habitans. Pſaltes diuinus: Do
mine, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra!
Diuus Auguſtinus: Nomen Dei, iucundũ eſt amãtibus Deum
ſuper omnes iucunditates, ait in pſal. 51. Theophilactus in Lu
cæ euangelium, cap. 9. Admirare obſecro, inquit, virtutem no
minis Chriſti, quomodo & per indignos, & eos, qui non erãt
diſcipuli, gratia operetur, & ſolùm nominatus Chriſtus; ita
& per ſacerdotes, etiam ſi indigni fuerint, operatur gratia, &
ſanctificãtur omnes, etiam ſi indignus fuerit ſacerdos. In quo
plurima coagmentauit Gratianus in Rhapſodiæ ſuæ cauſa
prima, quæſtio. 1. & ſimiliter Clicthoueus in homil. de miſſa.
18 Inſuper præſentiſsimum aduerſus dæmonas † atque ſpectra
remedium à pleriſque dicitur hoc nomen. & id notauit An-
dre. Alcia. in l. oſtentum. de verborum & rerum ſignificatio.
citans Capnionem in Pythagorica Philoſophia. qui ſanè li-
bris præſcriptis de Caballiſtica arte, & libris de verbo miri-
fico, ſolum hoc nomen Ieſu, cæteris exploſis præſtigiis ve-
riùs, quàm virtutibus, ait, contra omnia mala valere. quod
19 mirum eſt Caballiſtas Hebræos in diuinis † nominibus peri-
tiſsimos, non intelligere, nihil poſt Chriſtum in priſcis il-
lis nominibus operari: ſicut olim apud eorum patres, quia
illis non iungitur nomen Ieſu, in quod virtus reſedit, tum
à virtute Dei inſtituentis, tum eius, qui eo exprimitur,
Deus & homo Chriſtus, & à vi inſita ipſi verbo: ſine quo,
eiúſque autoritate, & aſſenſu hodie nihil hauriri poteſt à
cæleſtibus. Nec eſt aliud nomen ſub cælo datum homini-
bus, in quo oporteat ſaluos fieri, vt ait beatus Petrus 10. ca-
pite Actorum. & iam experimẽto comprobatum eſt, nullum
malum

malum dæmonem, nullam inferorũ virtutem ex iis, quæ vexant, aut obsident homines, posse huic nomini resistere, quin,
20 velint nolint, genuflectant, & obediant, † quãdo nomen Iesu, debita pronuntiatione illis proponitur venerandum. nec solùm nomen, sed etiam illius signaculum, crucem pauent. Neç solùm terrestrium, cælestium, infernorum genua flectuntur: sed etiam insensibilia ipsum reuerentur, & ad nutũ eius contremiscunt omnia, quando ex fideli corde, ore veridico, nomen Iesu pronuntiatur, & crucis salutiferum signum manus imprimunt innocentes. & si quoque immundi, nonnunquàm eo mirabilia operantur: quia vel credant ipsi, & omnis creatura reuereatur nomen Creatoris, vt & docet Agrippa in libris occultæ Philosophiæ: & dicit Archidiaco. in c. Pauliani stæ. 1. q. 1. quòd in inuocatione nominis Dei tremunt dæmo-
21 nes. & † ideò dicitur tremendum, & quod cum timore & tremore est inuocandum, quanquam timor hic liberalis esse debet, & gaudio quodammodo mistus: quoniam, vt disertè scripsit d. Chrysostomus lib. 1. de oratione, πρόσεισιν γὰρ θεῷ προσιόντες, σὺν χαρᾷ τε φόβῳ τῷ πρέποντι: φόβῳ μὲν δεδιότες, μὴ τὸ πλημμελῶς αὐτῶν φανείη: χαρᾷ δὲ μετὰ γηθοσύνης, ὑπὸ τοῦ μεγέθους τῆς τιμῆς. Porrò ait etiam eleganter Iodocus Clicthoueus libro, cui titulus est, Doctrina bene moriendi, ca. 21. sicut deficit fumus turbine venti dissipatus, & sicut fluit cera à facie ignis: ita maligni spiritus dispereunt ac euanescunt à conspectu & præsentia horum duorum nominum sacratissimorum, neque virtutem ipsorum sustinere queunt. Nec du-
22 bium est inter alios, diuum † Bernardinum in nomine Iesu, curasse morbos, & fecisse alia miracula. cui & mos fuit inter
23 prædicandum nomen Iesu † literis aureis in tabella depictum populo ostendere: quanquàm eiusmodi ritum nouũ cùm improbarent pleriq; à Martino, tum papa, iussus est relinquere, vt relatum est in Chronicorum libro, cui nomẽ, Registrum.
24 Nec † ignotum est Constantinum primum Imperatorũ Christianum, vt multis placet, signo crucis illi medio die in cælo ostenso diuinitus, ad fidem Christianam inuitatum, & persuasum à Christo, signum eiusmodi excellenter fabricasse. cuius supremæ parti insidebat conserta auro & lapillis ditissima corona. In qua tessera salutaris inerat, duplici versiculo: &
25 primis quibusq; † dictionum literis Christi nomen videbatur,
quo

quo aduerſus hoſtiles copias ſemper eſt vſus, miram eius virtutem experiens, quippe cùm feliciter vinceret, vt primùm eo ſigno viſo, voce diuina illi promiſſum erat: & nullus vnquàm huius ſigni lator, vt ſolet in bello aliâs, vulnere mortuus aut cladem captiuitatis perpeſſus eſt, & aliquando quidam alio deſerente, in maximo periculo, ſignum id accipiens, eo ſubitò percuſſo, illæſus perſeuerauit. Autores ſunt Euſebius Pamphil. lib. j. de vita Conſtantini, & Caſsiodorus ex Sozomeno tripartitæ hiſtoriȩ lib.1. Multa quoque de hoc nomine & virtute eius, Ioannes Faber, epiſcopus Viēnenſis, ſermone de patientia 15. & ſimiliter Faber Stapulenſis, de eius nominis præſtantia quædam adnotat in 71. pſalmum, verſic. 17. & beatus Bernardus in Cantica Canticorum, ſerm. 15. Traduntur quinq; ſecreta huius nominis mirificiſsima, libro primo eius
26 operis, quod † Fortalitium fidei inſcribitur. eiuſdem triginta excellentias belliſsimè enumerat Bernardinus Buſtus in Mariali, par. 5. ſermo. 11. Multa eiuſmodi quoq; habet beatus Bernardinus ſermo. 49. Antonius Tremoleus in addit. ad prælu dia, & exceptiones Huberti Bonacurſi in fin. Vigerius in decachordo: Thomas Illyricus in ſuis concionibus Toloſanis, & in epiſtola ad Senatum Toloſanum: Gerſonenſis Theologus, & multi alij. Dicitur autem, Ieſus, apud nos ſalutaris, ſiue Saluator, ſeu Seruator: quia multis gentibus ſalutifer venit: vti ſcripſit Lactantius Firmianus libro Inſtitutionum diuinarum quarto, cap. 12. Idem beatus Cyprianus docet in expoſitione ſymboli, ac Rufinus, & Chryſoſtomus, prima expoſitione in Matth. homil. 2. Hieronymus, Auguſtinus, & alij multis locis. Idque liquet vel ipſo Matthæi euangeliographi text. Igitur ab Hebraico verbo יָשַׁע, hoc eſt ſaluus fuit, ſeu הוֹשִׁיעַ id eſt ſaluauit, vel liberauit, dictus מוֹשִׁיעַ & יְשׁוּעָה videlicet Saluator, & Salus ipſa. vnde dicitur Eſaiæ 49. יוֹם יְשׁוּעָה dies ſalutis, tempus redemptoris ipſius, quo venit in terram, veluti mortuam reſuſcitaturus. qui tamen ei non credunt impij Iudæi, & negant ipſum eſſe ſeruatorem illum, nolunt vocare
27 ipſum יְשׁוּעָה ſed יֵשׁוּ quod & idem ſignificat, aut ſanè † quo idem intelligitur, & quod propriè Deo cōuenit, Exiſtentem, Hebraica ac Chaldaica lingua. Adhęc, cùm multis locis, tum apud Philelphum hæc vox ſcribitur inter i, & e, poſita aſpiratione

ratione h, ísque ita ſcribendam contendit autoritate veteri,
ac ratione quadam epiſtolarum lib.14. quanquàm vel ex ety-
mo,vel vſu doctorum virorum,ſi eum excipias, id nullomo-
28 do videtur . & contrarium planè † docet Aldus Manutius in
Grǫca introductione.vbi & cur tribus literis & Ieſus,& Chri
ſtus, ſcribantur vulgò,ediſſerit, breuiter oſtendens in *ΙΗ̄Σ* &
ΧΡ̄Σ Latinis erratum : cùm non intelligerentur, primùm ea
Græcis literis contractiùs ſcripta,in hunc modum : ιη̃ς χρ̃ς. Et
quanquàm videatur,quod Ioan.Reuchlinus lib.3.de verbo mi
rifico,& Franciſ.Picus de prænotione rerum, lib.7.cap.6.vo-
29 lunt eſſe idem † quod tetragrammum illud יהוה addita litera
ש,in medio expreſſa,vnionem diuinæ & humanǫ naturæ ſi-
gnificante, tamen aſpirationem poſueris inter ipſum ש,&
præcedentē literā ה,potiùs,quàm inter ipſum ה, & prǫcedē
tem literam ו, vt videtur ex eius communi enuntiatione.
30 Chriſtus † autem,à chriſmate, id eſt vnctione appellatur,etiā
teſte Cypriano in prædicta expoſitione ſymboli ∴ nēpe quo
niam ſacerdotes, reges, & prophetæ in veteri teſtamento
vngi ſolebant,Dei filius,& ſacerdos,& rex,& propheta, etiā
vnctus eſt ſpiritu ſancto : vt tradit Innocentius papa in c.
vnico.§.vnde.in princi.&.§. quia verò. in fi. de ſacra vnctio.
& D.Iſidorus lib.contra Iudǫos,cap.15.ac beatus Athanaſius
in epiſtolam Pauli ad Romanos,in hæc verba: Cōſtat Chri-
ſtum Ieſum carne aſſumpta,fuiſſe non oleo, ſed ſpiritu ſan-
cto perunctum: qui oleo quouis eſt efficacior. Quòd autem
vel ſine oleo conſtare vnctio poſſit, illud audi : Chriſtos
meos,hoc eſt vnctos meos, nequaquam attingite. quod ſanè
dictum ad ea pertinet,quæ ante conditam legem, quādo nec
nomen quidem extaret huiuſcemodi ex oleo vnctionis : in-
31 quit.idémq; ad Epictetum, lib.11.tradit vnguentum † in ſcri-
ptura ſæpius pro ſpiritu ſancto accipi. ſignificatum autem
id eſt certè oleo, vt pleraq; ſpiritualia corporalibus alijs:vt
docet Oroſius presbyter hiſtoriarum lib.6. cap. 20. de oleo,
quod Romǫ de meritoria taberna fluxit, & alijs miris ſignis
aduentus Dominici latè memoriam agens. vbi & id expri-
mit,Chriſtū lingua gētis eius,in qua & ex qua natus eſt, vn-
ctum interpretari. Quod dictum eſt ab Oroſio, fortè, quo-
32 niam lingua,quæ erat communis Iudæis, cùm † ad eos venit

Seruator,non pura Hebręa,ſed miſta exiſtente,vt Syriaca ſeu Chaldæa,diceretur Chriſtus, vnctus, vt קִירִים Dominus aſcititia Græca voce, κύριος. quod tamen nos minimè legimus. At cõſtat puram Græcam vocem eſſe, quæ dicitur χριστὸς. eiuſdémque ſignificationis omnino aliam eſſe Hebraicam מָשִׁיחַ eandémque Chaldaicam , addita; vt ſolet , in fine litera א, de quo & Ioan.cap.j.

1 *Codicis.*) Hac voce†quiuis liber dicitur: vt ſatis conſtat,& not.in princip.autenti.de trien.& ſemiſ.at hoc opus Iuſtiniani αὐτοκρατορικῶς ſolet dici Codex : ſicut & docet præſul Vincen-
2 tius,ſpeculi hiſtor.lib.20.cap.34. &†Biblia dicuntur ſacri libri: quoniam ſpeciali quadã de cauſa libri Dei ſunt , & Deus ipſe dixit,quæ ſunt in Biblijs,vt ait Raymundus Sabundus in opere,cui titulum fecit,Theologia naturalis,titu.211.

1 *Domini Iuſtiniani.*) Deo quidem,vt diximus† ſuprà,appellatio Domini, omnino competit. eadẽ verò & hominibus poſt Deum non inepta eſt.poſſunt & papa,& epiſcopi,& conſimiles,domini vocari:ſicut tradidit Albertus Pius aduerſus Eraſmum,lib.14. quandoquidem eis cenſetur, qui verè eſt Dominus, fidelium curam dediſſe , atque quodammodo dominium eorum. Similiter reges,& principes cæteri: cùm,Deo faciente,regnent & dominentur : vt habetur in epiſtola Ioannis papæ infrà,de ſumma trinita.idque quadam,vt par eſt,inter homines excellentia.vnde Honorius Theodoſius,& Valentinianus in poſterioribus legibus de fundis rei priuatæ;rem ſuam, dominicam nuncupant.Ad hæc autem, Q. Septimius in apo-
2 logetico † aduerſus Gentes,cap.34. Auguſtus, inquit,Imperij formator , ne dominum quidem dici ſe volebat. & hoc enim Dei eſt cognomen.Dicam planè Imperatorem dominum,ſed more communi. namque,vt ſcribit Tranquillus,Octauius do-
3 mini† appellationem vt maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. cùm ſpectante eo ludos pronuntiatum eſſet à mimo : ô dominum æquum & bonum! & vniuerſi quaſi de ipſo dictum,exultantes comprobaſſent,ſtatim manu vultúque indecoras adulationes repreſsit , & in ſequenti die grauiſsimè edicto corripuit,dominúmque ſe poſthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus ſuis , vel ſerio vel ioco paſſus eſt : atque eiuſmodi blanditias etiam inter ipſos prohibuit : ídque opinor,

opinor, ne ſatis per ſe inuiſam, tum incipientem monarchiam perpetuam, maximè populo Romano, libero admodum,& Regum iam olim licētia exaſperato, magis odioſam redderet, voce ſeruilē ſubiectionem denotante. Aut ſanè etiam ſigno quodam diuino, is dominus appellari noluit, quoniam eo tempore emiſſus eſſet agnus à Domino; vt habet Eſaias מֹשֵׁל־אָרֶץ Id quod cenſet Paulus Oroſius lib. 6. cap. vlt. dicens: Tempore, quo natus eſt Chriſtus, Auguſtus, ad quem rerum omnium ſumma conceſſerat, dominum ſe omnium appellari non paſſus eſt: imò non auſus, quo verus Dominus totius generis humani inter homines natus
4 eſt. Porrò verò Tyberius, Dominus † appellatus à quodam, denuntiauit, ne ſe amplius contumeliæ cauſa nominaret: indignum ducens principe, liberis hominibus legitimè imperante, nomen herilis & tyrannicæ poteſtatis. Sed & Alexander Seuerus, vt Lampridius refert, Dominum ſe appellari vetuit, epiſtolas ad ſe quaſi ad priuatū ſcribi iubens, tamen ſeruato imperatoris nomine. Atqui etiam
5 ante hunc, Dominum appellari ſe paſſus eſt Traianus† à viro doctiſsimo clariſsimóq;, necnon gratiſsimo ſibi C. Plinio Cecilio, pluribus eius ad ſe epiſtolis,& Ioannes Apoſtolus mulierem, ad quam ſcribit alteram epiſtolam, in initio ſtatim Dominam vocat. Et concilium Illyricanum, Dominum ſuum & comminiſtrum Helpidium presbyterum apud Caſſiodorum tripertitę hiſtoriæ lib.7.cap.10. & ad multos ſcri-
6 bens, Dominos illos vocat Sydonius: & † Paulinus, Dominum illuſtriſsimum Auſonium:& prudentem Dominam ec-
7 cleſiam. Quod certè nomen honoris legitimi† cauſa inuentum, iandudum ad adulationem traductum eſt, & communius effectum, quàm deceat, vt vulgò apparet, & teſtatur epigramma Gręcū ab Alciato relatum lib. παρέργων 2.cap.15.
1 *Sacratiſsimi Principis.*) Sacratiſsimus princeps non†ab re nūcupatur. nam & ſacro vngitur chriſmate, vt Innocentij textus de ſacra prodit vnctione. vnde Saul quamuis malus & reprobus princeps, Chriſtus Domini à Dauide dicitur, lib. reg. 1. cap.24. & lib.2. cap.1. Item, quia à Deo valde potens eſt, & quaſi Deus ſacer;& tēplum Dei vt Lucas Pēna ſcripſit in l.
2 prædia. col.18. de loca. præd. infrá. vnde†& maritū occidiſſe

indemnatum,quoddam ſacrilegium eſt, vt ex prædictis videtur,maximè ſacris locis.

1 *Perpetuo.*) Alibi ſæpe†in ſimilibus inſcriptionibus,ſiue perpetuò,ſiue ſemper vice huius vocis legere eſt. Ad quæ interpretatio Accurſij nimis inepta eſt ſuprà, quàm aliquis ſit admonendus. verùm hæ dictiones ex Donato in commentarijs Terentij,& Philelpho lib.epiſt.14.& cæteris id genus doctiſſimis hominibus,etiam continuationem ſignificant ab initio, ad finem eius,cui iunguntur ſubſtantiui. vt hîc ſcilicet,ab eo die,quo factus eſt Imperator,poſsit intelligi fore ad mortem vſque,vt ſit Imperator, Princeps,Auguſtus: vel etiam,vt per gloriam & famam ſit futurus apud homines ſempiternus. quod Salicetus tradidit hîc.

1 *Auguſti.*) C.†Octauius Cęſar primùm Auguſtus,vt notum eſt,à Senatu dictus eſt:ab eo verò cæteri ſimiliter.vnde C.Plinius oratione Panegyrica ad Traianum: Nomine Auguſti, inquit,admonemur eius,cui primùm dicatum eſt.Planè verò Ammianus lib.22. Octauio delatum primò Auguſti vocabulum ait. & quippe (ſicuti non omnino contemnendum habet opus inſcriptum, Faſciculus temporum) iuſtum fuit, vt ille cæteris nomen tribueret, quibus viuendi normam & regen-
2 di modum conſtituit primus. & Auguſti † nomen hocce dictum magis approbo,quòd nobiles ſint,ſacri & maieſtate pleni Imperatores, à tecto augurio conſecrato,quod propriè dicebatur Auguſtum, vt Seruius Grammaticus docuit in Georgicorum Virgilij librum quartum. & bene conuenit Salice-
3 tus hîc:atque Tranquillus in vita†Octauij: dicens,ipſum Auguſtum vocari:quòd loca,in quibus auguratò quid conſecratur, auguſta dicantur, ab auctu, vel ab auium geſtu guſtu've. Porrò non eſt abſurdum,quod à noſtris vulgò dicitur,Auguſtum ab augendo Imperio dictum. quod & ſentiunt vetuſtiſſimi. Ouidius nempe in primo Faſtorum, & Hegeſippus in
4 quinto excidij Hieroſolymitani libro. Videtur†etiam ab Imperij & poteſtatis magnitudine, & amplitudine id fuiſſe cognomen : ſecundum ea, quæ Valerius ad Decium apud Trebellium Pollionem ait:Quæſo ſanctiſsime Imperator, ne ad hanc me neceſsitatem alliges, vt ego iudicem de populo, de militibus,de Senatu, de omni penitus orbe,Iudicibus,& Tribunis,

bunis, ac ducibus. hæc sunt, inquit, propter quæ Augustum nomen tenetis. quasi Augustum amplum sit, contrariũ eius, quod dicitur angustum, id est arctum.

Tituli, de nouo Codice faciendo, LEX VNICA.



Aec, quæ necessariò corrigenda esse multis retrò principibus uisa sunt, intereà tamen nullus eorum ad effectum ducere ausus est.) Hoc ait Iustinianus de iure Imperatorum. Porrò idem de veteri illo, antè, quàm essent Imperatores, in l.1.§.1.inf.de vet.iur. enucle. quod nemo alius neq; sperare neq; optare ausus est: ac vniuersim de omni ad sua vsq; tempora cõstituto: in l.2.in princip. eo.ti. quod nemo ante nostrum imperium vnquàm sperauit, neq; humano ingenio possibile esse penitus existimauit.
1 Notum est tamen † M. Tullium, ius in artem & rationem certam atq; ordinem redigere voluisse: sed vel nece præoccupa-
2 tum, nequiuisse. Cæsar quoque, cùm † quiescere inciperet, ab omni bello aperto liber, & leges perstringere adgrederetur, occasu repentino vetitus est. id & magnus Pompeius anteà facere instituens, ab eo, metu obtrectatorum turpissimè destitit. Quod etiam Gratianus habet ex Isidoro in c. fuerunt. 7. dist. Similiter scripsit Ioannes papa, eius nominis 22. in proœ
3 mio Clementinarum. §. & licet. Clementem † Quintum non potuisse exequi quod ipse executus est, Libros ipsos constitutionum suarum cum similibus, à se digestos, publicos facere, magnis negotijs occupatum, ac morte præpeditum. quanuis id anteà facere destinasset. Atqui nõ est verisimile siue Iustinianum, siue Tribonianũ illum, quem hasce putant fecisse cõstitutiones atq; compositiones, ignorasse illa. His autem animaduerti voluit, quod verum planè habetur, neminẽ anteà id egisse, quod ipse egit. Cæterùm, sensit neq; eos quidem, qui id agere decreuerant, ausos fuisse optare aut sperare, vel adeò compendiosè, & bene digerere tã immẽsum ius & confusum: quippe cui etiam res difficilima, imò magis impossibilis videbatur: vt exprimitur in l.1.de vet.iur. enucl. infrà. Quòd autẽ hæc significare & scribere hoc modo se commendans voluerit, nõ est simplex commendatio sui: sed & Dei glorificatio.

vnde subiecit in præsenti rebus donare communibus, auxilio Dei omnipotētis, censuimus. & similia sæpe habet id ostēdentia in hisce constitutionibus, & legibus de veteri iure enucleando. Item, in causa eiusmodi, fuit subditorum vtilitas, & commendatio præcipua legum bonarum. quod nec Salicetus negare potuit, nec Plateanus in l. j. de profess. qui in vrb. Constan. infrà. Et in proœm. Instit. adnotauit & Baldus, & sensit omnino Accursius ad. §. vlt. huius constitutionis textu ipso apertiùs admonente cum plerisq; significatis similibus. tum multæ similes sunt causæ; quas vnà notare commodius visum est ad princip. l. 2. de off. præf. præt. Aph. C. & notat Card. Alex. post alios in c. temerè. 31. dist. & Luc. penn. in l. quisquis. de cohort. infrà. Frācis. rip. in tract. de peste, voluminis, quod est in octauo, fol. 75. col. 3. Pan. in c. nisi. ad fi. de renunt. quibus & cæteris derogare modestè, vt fecit, haudquaquàm inhonestum videtur. Id quod & Baldus hîc docet. Nec ab re est prouerbium & vulgare & relatum ab Erasmo in Encomio
4 Moriæ, Eum † rectè se laudare, cui malus sit vicinus, cui immeritò nemo alius contigit laudator. quando etiam interim ita omnino se res habeat, vt proniores sint homines ad vituperandum, quàm laudandum: vnde iam quis meritò in Domino se possit laudare. in quo & insignis facit apostolus, in secunda ad Corinthios epistola cap. 12. dicens: Si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem enim dicam. Et cap. 4. Sed in manifestatione veritatis commendantes nosmetipsos, ad omnem conscientiam hominum coram Deo. Et. j. ad Timoth. 2. In testimonium Christi positus sum ego prædicator & apostolus, veritatem dico, non mentior, doctor Gentium in fide & veritate. Namq; ait ex eodem Augustinus epistola 8. ad beatū Hieronymū, & Hieronymus ipse in sua epistola ad Augustinum: Non minore aut fortassis maiore etiam scelere in Deo laudari falsitatem, quàm veritatem vituperari. Item, tradit apertissimè Petrarcha lib. inuectiuarū in medicum. 2. cap. 9.
5 amore veri tutādi, nos ipsos † nostrámque industriam laudare posse, quanquàm scilicet aliòquin deforme sit de seipso prædicare. quod dixit Tullius lib. Officiorum. j. & dictum in c. obijciuntur. 32. q. 4. Sic Apostoli auditoribus admirantibus doctrinam suam, condelectabantur, non auiditate consequendæ

dæ laudis, ſed charitate ſeminandæ veritatis. Dein putandum eſt Iuſtinianum hiſce gloriari in facie, non in corde: iuxta id, quod legitur 2. ad Corinth. 5. Et gloriari quidem in Deo: per quem eiuſmodi iuris enucleationem accepimus: iuxta Apoſtolum ad Romanos 5. & 2. ad Corinthios 10. & Ieremiæ 9. multis vulgata loca. Adhæc, rurſum facit Apoſtolus 1. ad Corinthios 7. ſic habens: Puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam. & poſteriore ad eoſdem epiſtola, cap. 12. Exiſtimo autem nihil me minus feciſſe à magnis apoſtolis. & iterum, in priore, cap. 15. Sed abundantiùs illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum. & in eiuſdem epiſtolæ cap. 2. Non enim ſumus ſicut quidam adúlterantes verbum Dei, ſed ex ſynceritate, ſicut ex Deo loquimur.

1 *Et prolixitatem litium amputare.*) Ad hoc† Bartol. Bald. Salic. Paul. caſtren. hîc. bonus tex. in cap. finem litibus. & cap. fin. de dol. & contuma. cap. 5. §. ne lites. de cauſ. poſſ. c. 2. de re iudica. extrauagant. ad Romani. §. nos qui. de præben. l. litibus. & ibi Rebuff. de agricolis & cenſitis. infrà. Conuenit prætereà, quod ſcripſit Angelus in l. reos. columna 3. de accuſat. infrà. quòd ipſe iudex ſuperuacuo proceſſu vti non poteſt, nec debet. Et quod denotatur in clementina, ſæpe. de verborum ſignificatio. iudicem debere materiam dilationum amputare. de quo vltra alios, latiſsimè Georgius Natha ibi in 5. notabili. & nihil mirum, hoc ipſum enim litigare, moleſta res eſſe videtur, & damnoſa circa ſumptus, & ipſius cauſæ, periculum, vt Tyndarus ſcripſit tractatu de compẽſ. quæſtio. 2. & idem denotauit columna 6. & colum. antepenulti. vnde etiam non auditur volens litigare de lana caprina, ſicque incaſſum, vt notat Angelus in l. ſi quis ex ar-
2 gento. §. exigitur. ff. de edendo. & † non eſt diſputandum de lana caprina. Vt, quando certum eſt me habere actionem, non eſt quærendum, quomodo: Inquiunt l. Gallus. §. ſi eius. de libe. & poſthu. ff. quanquàm in hoc vide Iaſ. in rubr. de actio. inſt. & Oldendorpiũ in formula inueſtigandæ actionis. at planè non debet controuerti id, quod ambiguum non eſt: neque argumenta admittit id, quod eſt clarum. l. ille, aut il le. de lega. 3. l. continuus. §. cùm ita. de verb. obligat. cum l. apud antiquos

antiquos.& ibi not,infrà,de fur.& verba quantumcunq; generalia statuti, hoc est legis municipalis, vel alterius habentia; quòd aliqua discuti debeant vel disputari, non habent locum in notorijs,& nõ ambiguis,vel obscuris:vt multis tradit Curtius tracta. de iuramento calum. in materia positionum, breuiloquio.9. Atque huc pertinent multa,quæ dicturi sumus in §.quibus.eadem constitu.infrà.

Multitudine quidem constitutionum resecanda.) Huc spectat quod diximus R. seu optimæ rerum humanarum institutionis lib. 3.cap.2.

Vno autem Codice sub felici nostri numinis uocabulo componendo.) Licet notare hoc loco ex hoc textu vice prouerbij:vnus Impe
1 rator,†vna sanctio legum & cõstitutionum compositio:vnus princeps siue rex,vna lex.Namque,vt idem ait l.j.§.sed neque.
2 infrà de vet.iur. enucl. omnia nostra meritò† facimus,quibus à nobis omnis impertitur autoritas. nempe ea omnia nescire potest & tollere,& denuò seu alia constituere.Equidè vt beatus Chrysost.homilia de inuentione S.Crucis sexti Tomi 39. scripsit. & inter Gregoriana decreta sub titu.de regu.iur. habetur: Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem & soluitur.Ad hócque l.sed & posteriores,ff.de legi.atque,vt ait idem Chrysostomus, exposit.2.in Matth.homil. 21. lex le-
3 gislatori subiecta†est,non legislator legi.In quo & §.fin.in autenti.de consuli.idem in d.l.j.de vet.iur.Cùm,inquit,antiqua lege,quæ regia nuncupabatur, omne imperium omnísque potestas populi Romani in imperatoriam translata sit potestatem:nos sanctionem omnem non diuidimus in alias conditorum partes, sed totam nostram esse volumus, ne quid posit
4 antiquitas nostris legibus abrogare.At tantã†antiquitati tribuit reuerentiam,vt ne quidem alterius quàm minimã etiam partem sibi tribuerit:sed cuique quod suum fuit, & Imperatoribus,& Iurisprudentibus quibusque reddiderit,pręposito in his semper & quantuliscunque cuiusque nomine. sed & po
5 pulus Romanus † leges regias duntaxat, collectas per Papyrium Sextum, ius papyrianum appellauit,ac etiam actio-
6 nes per † Appium Claudium in vnum compositas, & ad formam redactas, ab Cn. autem Flauio scriba eius subreptas,& publicè traditas, ius Flauianum nominauit. quod in l. 2.

l.2.ff.de orig.iur.Pomponius retulit. Cæterùm aduertendum
7 est hoc loco videri Iustinianum Imperatorem † velle significare, nomẽ eius à Iustitia dici, vel tanquàm à Iustitia dictum, accipi, siue à iure. quanquàm scimus & Iustinianum ex sorore nepotem Iustini fuisse, ab eóq; acceptum in adoptionem, factum eius filium, & tandem Imperatorem, cùm ipse Iustinus decederet, vt Procopius lib.j. de bello Persico, & alij produnt: noménque id, est illi proprium. Cuiusmodi etymologiam & significationem scrutari, inane est & ineptum: vt Baldus tradidit in procœmium Pandectæ. & sic quisquis fuerit ille pius ac doctus olim, qui vitam beati Gregorij Turonensis edidit: Mysterij maiestas in nominibus non quæritur, inquit.

1 *Oportet.*) Verbum † hoc, quod sæpe necessitatem denotat, vt & nota.in cap.confidimus.25.quæst.j. & per Geminianum in ca.vt qui duas.de electio.in 6.non est necesse, vt semper necessitatem importet: vt putauit Fortunius Gartia, vir aliòquin singularis in iure eruditionis: ad l.j.ff.de iustitia & iure,
2 cùm & sæpenumero pro, decet, vel † conueniens est, sumatur: vt nota. post glos. per Marsil.in l.j.de rap.virgin.infrà.& Panormi. in cap.j.de libelli oblatione. & notant Archidiaco.& Cardi.S.Sixti in cap.oportet.3.quæstio.ij. quòd verbum, oportet, est consilij, non necessitatis. Cæterùm, digna relatu in hoc sese offerunt Tranquilli loca. Primum enim in Vespasiano ita scripsit: de iurgio quodam Senatoris equitísque Romani, ita pronuntiauit: Non oportere maledici senatoribus: remaledici, ciuile fásque esse. quanquàm in hoc nedum iure Diuino ac Canonico, de quo in cap.nonne. de præs. sed & iure ciuili traditum est, non excusari etiam eum, qui prouocatus veluti talionem reddens, iniuriam dixit, vel intulit. Et quòd non sit in huiusmodi compensatio: vt per Beraudum tracta. de iniurijs.fol.mihi 42.& Panormita.in cap.cum te. de re iudica. & alios multos. Porrò ille: Cum Vespasianus super vrgentem valetudinem creberrimo frigidæ vsu & intestina vitiasset, nec eo minus imperatorijs muneribus fungeretur, vt etiam legationes audiret cubans, aluo repente vsque ad defectionem soluta, Imperatorem ait stantem mori oportere. & in Tito: Non oportere ait quenquam à sermone principis

triſtem diſcedere.

§. Ideóque ad hoc maximum, & ad ipſius Reipublicæ ſuſtentationem re-
1 *ſpiciens opus efficiendum.*) Nota hîc ad Reipubl.† ſuſtentationem Principis eſſe admodum laborare, non ſecus, quàm mariti ad
2 ſuſtentationem vxoris, & educationem. eſt † enim profectò princeps, quaſi maritus Reipub. quod tradidit Penna in l. quicunque. infrà, de omni agro deſer. & Chaſſan. in conſil. 66. &
3 †Reſpublica quaſi principis caro. ſuam autem carnem nemo odio habuit: ſed fouet & nutrit eam: vt ait Apoſtol. ad Epheſ. vltim. Itémque 1. ad Corinth. 9. Bonum eſt mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet. Nam & ſi euangelizauero, non eſt mihi gloria. neceſsitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Quamobrem & hic alibi planiùs, & ſimiliter princeps maximus circa ſpiritualia verſans Romanus papa, multis locis ſe ſolicitiùs pro Republic. laborare pluribus atteſtantur, in princip. autentic. de hæredit. & Falcid. & prooemio Sexti. & extrauagant. 2. de ſepultu.

Elegimus tanto faſtigio laborum, tantæque ſolicitudini ſufficientes.)
1 Nota primùm, in vnaquaque re peritos eligendos. Iuxta† ſcilicet vulgatum prouerbium, vt de calceo quidem calceolarius dicat. nam de ijs, quæ quis nouit, bonus conſultor eſt. ſcientis eſt & periti, non vel diuitis & imperiti, de vnoquo-
2 que conſulere, vnumquodque agere. melius eſt id, † quod per omnia rectè ſe habet. Rectè verò ſe habet, quod ſecundum artem fit, hoc eſt ſecundum rectam intelligentiam & peritiam. & ſanè oportet eos, qui aliquid docturi vel facturi ſunt, prius, quàm id agant, intelligere, vt Plato oſtendit in Alcibiade j. Id quod etiam pleriſque alijs iuris exemplis declaratur, & præcipitur. l. prima. de ventre inſpicien. ff. l. ſemel. de re milita. infrà cap. propoſuiſti. de probatio. cum ibi not. Porrò ne-
3 dum periti eligendi ſunt in vnaquaque† re & negotio, ſed qui adeò ſint periti, vt negotio, ad quod electi ſunt, ſufficiant. Id quod præcipuè ſonat textus hîc, & Salicetus notauit, & Angelus in §. cúmque prooemij. Inſtitutio. Vnde videtur, quòd ſi aliquibus eſt commiſſa poteſtas eligendi vel doctorem, qui ius interpretetur, vel quem dicunt prælatum, præfectum, inquàm, qui pia & religioſa curet, non ſatisfacere

illos

illos, nisi is, quem elegerint, sufficientis sit peritiæ & virtutis, secundum locum, in quo versari debet. quamuis Innocen. in c. in causis, de electio. putauerit eiusmodi commissionem, esse quandam donationem irreuocabilem. & id commeminit Angel. in l. donatio perfecta de reuoc. don. inf.

Ioannem, virum excellentissimum, exquæstorem nostri palatij, consularem,
1 *atque patritium.*) Ad hunc locum, † quis dicatur exquæstor & similiter alibi exconsul, facit Alcia. lib. dispunc. 4. cap. 3. parum tamen in re perplexa constans, & inquiens, fortè etiam, qui consulari patre nati sunt, exconsules dici, & similiter in alijs. Pro quo facere videri potest Ammianus lib. 27. dicens Lampadiũ ex præfecto: deinde lib. 28. ita: Circa hos dies Lollianus primæ lanuginis adolescens, Lampadij filius ex præfecto. Cæterũm, retulit prædicto loco Alciatus, & planè docuit Ioannes Droseus in methodo iuris, nunc primùm emissa, & anteà Antonius Nebriss. in lexico iuris, & Petrus Crinitus de honesta disciplina, lib. 10. cap. 12. ac sanè noster ante
2 omnes Accursius, hîc & alibi rectè sentiens, † exquæstorem, virum quæstorium veteri linguę puritate vocatum, vt & hîc
3 † consularem quem exconsulem alibi, dici, qui quæsturam dimisit, qui quæstoris functus est officio, & sic videlicet ex quęstore quicquam aliud factus, vel quieti redditus est, & sic in similibus. in quo etiam nos adiuuat Ammia. lib. 26. sic habens: Et Arbitionem exconsule, agentem iamdudum in otio, ad se venire hortatus est. sicq; Paulus Orosius lib. 5. cap. 23. ait Publium Seruilium, exconsulem Ciliciæ ac Pamphiliæ bellum intulisse, quo triennio gesto Isaurici nomen accepit. Quanquàm ibi alij legunt, ex consule, vt facere video in cæteris plures eruditorum, nouam vocem magis quàm locutionem nouam abhorrentes, adiectione illa, ex, præposita seiuncta, & vim suam regiminis seruante; sicut & fit apud Græcos; quibus ex quæstore & ex consule dicitur, ἀπὸ ταμιῶν, καὶ ἀπὸ ὑπάτων, vt post Haloandrum docet etiam prædictis suffragans nuper editum elegans opus emendationum Antonij Augu-
4 stini, iurisconsulti Hispani, lib. 3. cap. 3. Cæterùm, † patritij dicti à patribus, vt probat Valturius rei milit. lib. 8. cap. 1. fuerunt illi maximè, qui centum illis patribus à Romulo lectis
5 erant progeniti, à quibus inhabitantibus etiam † vicus patri-

tius dictus est: vt Pompeius docet. intelliguntur autem hoc loco & similibus maioris cuiusdam dignationis supremi consilij viri, & communis Reipublicæ patres, vt ex Suida Græco docent Alciat. ti. de consul. inf. lib. 12. & Budæus in l. finali de senatoribus. ff. Hic quidem etiam dicens, inde de-
6 ductos Franciæ † Pares, ab ijs fortasse regibus institutos, qui ipsi Imperatores quoque fuerunt, hincque libris Feudorum Pares etiam dictos. Et nos putamus vel generis, vel ætatis, vel virtutis aliâs spectatissimæ aut scilicet fauoris, vt fit in omnibus, quasi horum causa, posteriore tempore, iam cùm nullus ferè ex genere patrum illorum Romuleæ institutionis extare videretur, similitudine illius renouatæ quodammodo ac erectæ dignitatis, viros patritios, concedente Principe, dictos. id quod apparet ex loco Cornelij Taciti: quem refert Budæus: & ex loco Sidonij Apollinaris, quem citat Alciatus, tum huius pluribus. in primis, lib. Epist. 5. vbi ait ad Papianillam suam scribens: Vt sicut nos vtranque familiam nostram præfectoriam nacti, etiam patritiam diuino fauore reddidimus, ita ipsi, quam suscipiunt liberi patritiam, faciant consularem. Item in Panegyrico, Antemio dicto:

Suscipit hinc reducem duplicati culmen honoris.
Patritius, necnon peditúmque equitúmque magister,
Præficitur castris.

Et de eodem posteà:

Hinc reduci datur omnis honor, & vtraque, magister
Militia consúlque, micat coniuncta potestas:
Patritij celerísque gradu priuata cucurrit.

7 Adhæc Annonius lib. j. cap. 22. ait † Anastasium Imperatorem scripsisse ad Clodoueum Francorum Regem, complacuisse sibi & senatoribus, eum esse amicum Imperatorum, Patritiúmque Romanorum: hincque dictum consulem & Augustum. De quo & Beatus Remigius in eius epitaphio relato ad finem eius libri, cecinit:


Patritius magno sublimis fulsit honore.

Et idem Annon. lib. ij. cap. 6. refert Childemerum regem Vandalorum, captum à Bellisario Patritio, strenuum certè virum, Iustiniani præcepto eunuchum factum, Patritium Roma

Romanorum finium, qui Persidis prouinciæ adiacent ordi-
8 natum. & in additis illi scriptis, lib. 4. cap. 8. habetur, † Carolum Imperatorem coronatum, obmisso Patritij nomine, Imperatorem & Augustum vocatum: quòd scilicet non sit di-
9 gnitas continua superior † & maior aliqua, pręter Imperium: ad quod gradum dat Patritiatus: vt magisterium equitum &
10 principatus, viam † ducibus Austrasianis munijt, inquit Paulus Aemilius lib. 2.

1 *Tribonianum.*) Tribonianus, vt docet Procopius lib. j. de † bello Persico, natione Pamphilius, Iustiniani Imperatoris Parædrus, hoc est assessor; & Imperatoris Iureconsultus [illegible],
2 ac quæstor fuit. Cancellarium dixeris. Cuius † opera potissima, nedum Codex, sed etiam libri Iuris cæteri sunt consarcinati. Id quod & testimonio Iustiniani liquet, præsertim in
3 duabus legibus de veteri iure enucleando infrà. Porrò † eius mores malos ex Suida describit Riuallius Allobrox, historiæ iuris ciuilis lib. 4. tum Andrę. Alciat. dispunct. lib. 4. cap. 7. & Aegidius Perri. in vita Iustiniani. at Alciatus prædicto loco, ac dispunctio. lib. 3. cap. 11. necnon Bernardi. Rutilius in
4 eius Triboniani † vita, minimè censent Suidæ fidem adhibendam. aitque Droseus in præfatio. Digesto. videri sibi malè de iure mereri, qui huiusmodi calumnias etiam recitant,
5 vnà scilicet perstringens † magnum Budæum, inter alios maximè Suidæ hærentem, in l. fina. de ædilit. edict. ff. quos præstat à Deo iudicari.

Theophilum, virum clarissimum, Comitem sacri nostri palatij, & Iuris in hac alma vrbe Doctorem.) Licet ex hoc textu notare & docto-
1 rem † esse posse aliquem, vt vocant regentem, & pretereà gerere magistratum, vel officium, quod dicunt habere in curia. quod & in Papiniano notat Cynus in l. lecta. ff. de rebus creditis. licet alij contrà. & Marti. Lauden. tracta. de lega. nume.
2 29. Insuper † sciendum est nedum in hac Constantinopolitana vrbe, & cęteris, de quibus in procemio Digest. §. hęc autē. posse iura doceri, verùm etiam vbiq; ex quadam cōsuetudine generali, & interpretatione, vt dicit Iacobus Canis in tracta. repręsa. par. j. colum. penul. de quo etiam Barto. in dicto §. hęc autem. & Nicol. Boerius in additio. ad Dynum, procem. de reguli. iur. in 6. & Bald. in consil. 77. par. 5.



1 §. *Quibus specialiter permisimus.*) Hic, inter multos casus, in† quibus exigitur speciale mandatum, quos enarrat Accursius & Angel. in §. procurator. Institu. de ijs, per quos age. poss. & alij alibi, notandum est, nulli magistratui siue principis, siue ciuitatis, intelligi datam componendi leges potestatem, nisi id expressum sit; ac ne ijs, quibus generalis potestas permissa est in statu cuiusdam Reipub. disponendo, censeri permissum corrigere, mutare, addere: ad eáque nec generalem potestatem reformãdi sufficere: quoniam eorum specialem potestatem dedisse ijs, quibus iuris reformationem commiserat, inquit Iustinianus. quanquàm hoc quidem Castrensis non approbat: cætera tamen ratus cum Bartolo hîc, & Ponta. consil. 37.

1 *Resecatis tam superuacuis.*) Nota † superflua extirpanda: idque in omnibus. neque valet interpretatio aliqua, per quam quis ad superfluam operationẽ, veluti satisdationem adigeretur:
2 vt tradit Ponta. consil. 62. nec † debet syllaba in lege poni superfluò: vt est glos. in l. j. quod met. cau. ff. quæ dicitur singularis à Barbat. in rub. de mut. petitio. non enim ad superflua nati sumus, inutilia, & vana, sed ad vtilia tantùm, & necessaria:
3 præsertim inquam in adeò breui hominum vita: quæ † vix ad necessaria sufficit: nullo verò modo sufficit etiam diligentissimis, & multo tempore viuentibus ad pleraque vtilia. c. licet.
4 ij. de testi. Ideò Theophrastus† moriens, cùm iam senex esset, & multis doctus vigilijs, Naturam accusasse dicitur, quòd ceruis & cornicibus, quibus nihil interest diutius viuere, longiorem vitam, quàm homini tribuisset, animali & corpore & ani
5 mo ad vtilia quæq; apto. & Themistocles† cum expletis centum & septem annis mori se cerneret, dixisse fertur, se dolere, quòd tunc egrederetur è vita, quando sapere cœpisset. Cicero
6 † ait, etiam si sibi vita duplicaretur, minimè fore vt posset legere Lyricos. Et nobis etiam ad Histriones aspiciendos, & ad
7 omne otium tempus suppetit. Melius† ergo cõseruandum est, & quam diligentissimè custodiendum tempus, vt & monet Ecclesiasticus cap. 4. & Chrysostomus in euangel. Ioan. homil. 57. dicens: Omnia potius amittenda sunt, quàm tempus. aurum amittis? poterit recuperari. amissum tempus difficulter. Breue nobis in præsenti vita tempus præstatur, quo nisi
8 in necessarijs vtamur. Adeò tamen† insanit maxima pars hominum

minum,& qui præstantiores habentur, vt in minutulis quibusque rebus, & leuiculis, & minus vtilibus exactam quancumque,& multò maiorem operam,quàm sit necesse,impendere non vereantur,non videntes id sibi tempus perire,& decedere siue lectioni,siue cogitationi, siue cuicunque alij meliori operationi nunquàm rediturum. qua in re indignabun
9 dus † Petrarcha lib. epistol. ij. ita ait: Sic erit proculdubiò, sic erit: semper curabuntur superuacua: semper necessaria
10 negligentur. Quàm fertilis † ager,quàm domus composita, quàm obsequiosus seruus,quàm solicitus procurator, quàm splendida vestis, quàm nitidus equus, quàm pulchra vxor, quàm nostri corporis ornata superficies,omnes curamus: quàm pulcher & ornatus animus, curat nemo, nec se curaturum spondet aut sperat: sed quod primum esse debuerat, differimus ad extrema. Atqui volat tempus, inquit Cicero. &,

Rusticus expectat dum defluat amnis: at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

Vt Flaccus scripsit.& alibi, Summa vitæ breuis spem nos vetat inchoare longam. ad idem Seneca lib.epis. j. Nemo quicquam habet facti: in futurum nostra distulimus. Fac mi Lucili,inquit,quod facere te scribis: omnes horas complectere. sic fiet,vt minùs è crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. dum differtur, vita transcurrit. omnia aliena, tempus tantùm nostrum est. quemadmodum ex amphora pri-
11 mum quod est syncerissimum † effluit, grauissimum quodq; & turbidum subsidit: sic in ætate nostra quod est optimū, primum est.Id exaudiri in alijs potiùs patimur, vt nobis fæcem reseruemus.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui,
Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus.

inquit Poëta.Idem Seneca lib. de vitæ breuitate: O in superuacuis laboribus operosa sedulitas! Cæcilius: ô tristes ineptias! ridiculæ sunt. Persius:

O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!
O curua in terras anima, & cælestium inanes!

Petrarcha: *O cure superuacue: ô tempo, ô ciel volubil,*
Che fuggendo inganni i ciechi e miseri mortali. Seneca lib.10. epist.
Resi

12 Resistendum † est occupationibus: nec explicandæ sed submouendæ sunt. quod Rabbi Meir Hebræis ait inter patrum apophthegmata הֱוֵי מְמַעֵט בְּעֵסֶק וַעֲסֹק בַּתּוֹרָה Seneca etiam lib. 21. epist. Finem omnium rerũ specta, & superuacua deuites: non tam benignum & liberale tempus natura nobis dedit, vt aliquid ex illo vacet perdere. vnde quàm multa etiam diligentissimis pereunt. Hincq; lib. 4. epist. 39. Quæ superfluunt, nocent, inquit. Patrarcha lib. 2. de remedijs vtriusque fortu-
13 næ: † Cùm tot sint labores necessarij, superuacuos quærere, stultissimum est. Porrò verò Anneus Seneca libro de breuitate vitæ: Magnificè, inquit, non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus. satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur: sed vbi per luxum ac negligētiam defluit, vbi nulli rei bonæ impenditur, vltima demum necessitate cogente quam ire non intelleximus, transijsse sentimus. ita est, non accepimus breuem vitam, sed fecimus: neque inopes eius, sed prodigi sumus. non pudet te reliquias vitæ reseruare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem
14 conferri possit? tanquam semper victuri, viuimus. viuere † in tota vita discendum est; & in tota vita discendum est mori. verùm, an non etiam id omnino docent sacræ literæ? Sanè & ipse Dominus loquitur in hoc apud Esaiam, edicens: Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia. cuius in hanc rem meminit B. Antoninus in summa sua, par. j, quintæ par. tit. 5. c. 2, in fi. atque idem Gersonensis theologus in lib. de solicitudine ecclesiæ, par. 64. Apost. ad Roma. 2. Et probas vtiliora instructus per legem. in quo & August. in ca. quanuis. 38. dist. & rursum Apostolus ad Tit. 3. Stultas autem quæstiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita. sunt enim inutiles, & vanæ. discãt autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi. Adhæc sacer Hebræorum doctor: In superuacuis rebus noli scrutari mul-
15 tipliciter. Item, Chrysosto. Tomi, 5. homil. 76. Non, ait, † in vanos labores & dolores vita est impendenda. & in euangel. Ioan. homil. 57. & beatus Augustinus quadam ad Vitalem epistola 2. Tomo. & Vincentius lib. speculi doctrinæ. j. cap. 31. & lib. speculi morum. 3. par. 3. dist. 2. similiter. Item Clemens. j.

Roma

Romanus pontifex, occupationes & solicitudines superfluas amputare oportere, ait epistol.4. Saluianus Massiliensis epi-
16 scopus,quadam epistola:hoc solum rectè†quæritur,cuius inquisitio valet ad fructum aliquem peruenire: cæterùm,si infructuosa est, quid necesse est vt laboret curiositas,cùm profectum curiositatis non sit habitura cognitio? Inutilis enim
17 †diligentia, quæ circa inutilia adhibetur, ait Cæsar de agricultu.lib.17.cap.7.in quo & cap.j.& ibi nota. per Geminia.& alios. de renuntia. in 6. Hincque manauit prouerbium illud, de quo meminit Erasmus in conuiuio poëtico, & discipulus
18 eius Viues in Satellitio: Quiesce † nihil acturus. melius est enim cessare,commodè scilicet seipsum colligendo,quàm nihil, hoc est, inutile agere,& frustrà se vexare. Cæterùm huc & illud pertinet, quod refertur à Baldo in cap.j.de feud.cog. & Ias.in prelud.feud.cùm decoquis lentem,non infundas aromata. Id quod breuiùs dixeris: In lente vnguentum. Censuit tamen Georgius Natha,in repeti.clemen.sæpe. de verb.significa. notandum, quod glossa in verbo,perpetuum, ait,soluens contrarium, quo dixerat verbum illud videri superfluum, cùm suapte natura lex sit perpetua, quod est modus loquendi, eóque doceri repetentes ac disputantes prudenter eludere similia argumenta, quæ fierent à superfluitate, qua tandem vix sunt redarguendi,qui ore docent seu scribunt, cum variè satisfacere habeant ac ne sic satisfaciant sæpe: vt interim nos ipsos quoque hìc excusemus, multa in superfluitatem super-
19 flua adnotantes,at non,opinor,superfluò.†quandoquidem vt commodissimè ait Fortunius Gartia,ad l.Gallus.§.quidam recté.de liber.& posthu.ff. superfluis aduersus superflua est vtique opus.nec ab re est,quod mox ac posteà statim,& ad illud: Et breui ser.consc.Deo iuuante dicetur.

1 *Quantum ad legum soliditatem pertinet.*) Nota†catenus superflua reputanda & reijcienda, quatenus soliditati & perfectioni rei nihil detrahitur, atque eatenus scilicet superflua intelli-
2 genda. Solida † autem, perfecta, & absoluta quæque res putanda est,quæ sua sibi omnia habet, cui nihil deest,neque vlla pars,siue principium, siue medium,siue finis. In omnibus rebus animaduerto id perfectum esse,quod ex omnibus suis par tibus constat,inquit Caius Iureconsultus in l.prima.ff.de ori-

gi.iur.vult & idem Aristoteles lib.Metaphysi.quinto.& Gregor.Nicenus in principio lib.de vita Moysi.& huiusmodi homines sapientes appellamus. eos enim, qui sapientes sunt, absolutos & perfectos putamus; vt ait Cicero lib. 4. de finibus. Idque scilicet quantum in humanam capacitatem cadit. quo-
3 niam † aliòquin & planè, & solus sapiens & perfectus haud dubiè est Deus. Item Lactantius lib.j.diuinarum institutio.capi.3. Id perfectum existimandum est; cui nihil potest accede-
4 re, scilicet vtile, & quod non superfluum sit. Plato † id totum appellauit, habens principium, medium & finem, in Parmenide. Propriè inquam: nam & eius, quod impropriè totum est, scilicet plusquàm totum, & habens superflua, totum aliubi appellauit, ac ipsum verè totum medium, celebrans in hunc
5 sensum illud Hesiodi: † Dimidium nonnunquàm magis esse, quàm totum. inquit enim:

Νήπιοι οὐδ' ἴσασιν, ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός.

Idque quando videlicet totum comprehendere noxium est, dimidium verò moderatè se habet. tunc sanè moderatum immoderato plus esse rectè censuit, vtpote melius deteriore, & malo bonum, & inutili vtile, & superfluo non superfluum. Vnde constat etiam imperfectum censendum, à quo amouendum aliquid est, vt rectè se habeat, atque id, cui est quicquam
6 addendum. Planè igitur † est solidum, cui nihil addendum est neque detrahendum. quod mediocritas appellatur: In qua omnis virtus sita est: extrà verò, in vtraq; parte vitium, vt Philosophorum clarissimi, multique autores alij prodiderunt.
7 Vnde & lex mediocritas † dicitur: quæ sola laudatur & expetenda dicitur. vt habet eleganter Peripateticorum Princeps, in Politicis: ὁ γὰρ νόμος, τὸ μέσον. τὸ μέσον καὶ τῶν ἀμφοτέρων ἐπαινοῦμεν, ὡς χρῆναι διώκειν φασίν. In hoc & cap.j.articu.ij. 41.distinct.& l.iij.§.penul. ff. vbi pupil.educ.deb.& l.continuus.§.ij.de verb.oblig.c.clerici. versi.clausa.de vita & hone.cler.& not.in l.non exigimus.§.si
8 quis tamen.si quis cautio.ff. Hincque † aliquando, quod minus est, nimium etiam dici potest; quando scilicet id minus nihil prodest. nam eo primum minus est, & nimium est, quia non modò non prodest quicquã, sed etiam nocet in eo occupatum fuisse frustrà. quale est ænigma Vulteij lib.Epigram.ij.

Non satis & nimium est semel aspexisse Tolosam.

Sed &

9 Sed & similiter quod nimium est, † minus dici potest, etiam aliôquin, cùm ei, quod sat est, officit, non, si non officit. vnde traditum est cùm fit plusquàm fieri debet, etiam ipsum fieri quod est faciẽdũ, not. in l. si quis cui. quemadm. seruit. amitt.
10 Cæterùm, cùm † nihil fit, minus fit. vnde qui non vult currere, tenetur ex conuentione de minus currenti: vt tradit ibi Castren. & Rebuff. in l. j. gloss. 4. in fi. de sen. quę pro eo, quod inter. prof.

Præfationibus.) Nota hîc non omnes præfationes damnari vel censeri superfluas. quando enim, superfluis resecatis, ait non superflua quædam censet, vtique minimè mala, & rese-
1 canda procemia. vnde † lex municipalis prohibens doctori vti procemio, valet quidem, sed intelligitur de superuacuo, non alijs, vt tradidit Bald. ad rubri. de iustit. & iur. ff. qualia sunt quæ conferunt ad legum causam finalem intelligẽdam, vt Baldus tradidit in sequentem constitutionem. & facit Ponta. in consil. 328. col. 2. & Alex. consil. 55. col. j. par. 5. & Marsil. cõsil. 19. l. regula. §. & licet. de iur. & fac. ig. ff. l. j. & ibi Bald. ad Macedo. c. ex multa. & ibi Pan. de voto. & Barbat. in procem. Clement. & in cap. dilectus. nu. 65. de resc. idque nos tradidimus lib. nostræ Reip. tertio ex legumlatione Platonis. atque certè Caius expressit, argumẽtum ducens quasi à praxi ad theoriam, à foro iudiciali ad Iuris scholas, à voce oratoris in auditorio iudiciali tonante, ad Iurisconsultorum inter-
2 pretationes & compositiones Iuris. Nam † id ex Platone quoque in Phædro notum in oratione primum ante narrationẽ procemiũ esse, ex Theodori antiquioris, viri Byzantij more, ad reddendos scilicet auditores attentos, dociles & beneuolos, vt Cicero, Fabius, & cæteri tradiderunt. tametsi
3 † quosdam casus voluerunt, in quibus illud sit obmittẽdum. Ait verò Caius l. j. de orig. iur. si in foro causas dicentibus ne fas, vt ita dixerim, videtur esse, nulla præfatione facta iudici rem exponere, quantò magis interpretationem promittentibus, inconueniens erit obmissis initijs atq; origine non repetita, illotis, vt ita dixerim, manibus materiam interpreta-
4 tionis tractare? Namque, nisi † fallor, ipsæ præfationes & libentius nos ad lectionem propositæ materiæ perducunt, & cùm eò venerimus, euidentiorem præstant intellectum. in

quo & Accursius in Institutionum procem. qua in re deficientes, siue abundantes, inquàm, supra modum præfationes, superuacuæ habentur. quas hoc loco omnino reprobat Iustinianus. quemadmodum in oratione quoque & cæteris compositionibus fit à peritis autoribus. Beatus Hieronym. lib.2. Machab.cap.3. Describturo historiam stultum est ante histo-
5 riam effluere, in ipsa autem historia succingi. Aelius † Spartianus in Aelio Vero, ad Diocletianũ Imperatorem: Non debet prologus enormior esse, quàm fabula. Lucianus in encomio Demosthenis: Si initium orationis iusto grandius est, verendum est ne quis, iuxta prouerbium, dicat: Epigramma maius est calatho. Et huiusmodi immoderatis seu ineptis procemijs vtentes Oratores, [illegible] ῥήτορες ait eiusdem Timon.

1 *Quàm similibus.*) Nota quoque similitudinem † reprobari, scilicet superfluam. nam & solet esse similitudo superflua & mater, vt ait Beroaldus, fastidij. Est autem non superflua vel inutilis aliquando, similitudo, multis de causis: quas apertissimè nos docuit Iustinianus in l.ij. §.si quid ergo. infrà de vete.iure enuclean. atque alibi. quibus fiuit multas leges inter se similes diuersis legi locis. Cuiusmodi ferè omnes aliquando notauimus vnà ius perlegendo. In hoc Codice l.si quis in conscriben. de episco.& cleric.& titulo de pactis. l.nemo. de episco.audien.& titu.de postulando. l.legem. quam dixi. de pact. & titu.de pact.conuentis. l.ex conuentione. de pact. & titu.sine cens.vel reliquijs l.iubemus. de sacrosanct.eccles.& titu.de naui.non excusandis. l.neminem. de sacrosanc.eccle. & titu.de quibus muneribus. l.qui sub prætextu. de sacrosan.eccle.& titu.de collegiatis, l.addictos. de episco.audien & titu.de appellationibus. l.nemo.ij. de episcopa.audien. & titu. de sponsal. l. mulieres. de incol. & titu.de dignita. l.sacrosancta. de sacrosanct.& titu.de annonis. Porrò in Pandectis. l.diem functo. de offic.assesso. & titu. locati. §. seruum. l.cùm fundus. de rebus credi.& l.si seruus. de actio.empti. l.filiusfamil. de verborum obligatio. & titu.de regul.iuris. l.si de vi. de iudic. & in l. qui cœtu. ad legem Iul. de vi publica. §.fina. l. pater. & l.Lucius. de lega.3.

Et contrarijs, præterquàm si alia diuisione aduenuntur.) Non est du-
1 bium relicta verè contraria † in iure pleraque, adducuntur le-

ges fin.

ges fina.ff.de cadauer.punitor. & l.obnoxios.de religios.infrà l.prima,& secunda. ff.de castrens.pecul.& l.quod scitis.de bonis quæ liber.infrà l.quanuis.de adulter.infrà,& ff. Iura, alia item multa. Id autem & pleriq; docentes nostri testati sunt, & inter cæteros Neuizanus tandem in inuentario suo librorum iuris,ad finem: atque omnino Budæus posterioribus adnotationibus in Pandectas, in l.4. ad legem Iuliam maiesta. Atqui ea & similia contraria quadam subtili distinctione & diuisione adiuuari posse Tribonianus censuit: ideò propter vtilitatem aliquam non mouisse loco, aut mutasse apertiùs vi
2 detur: & voluit ita accipi oportere. Quamobrem † magis ipsius Triboniani & Principis legúmque conditoris mentem,quàm rem ipsam, iam non ipsam, & verba attendentes, inquantum fieri potest, cùm in manus veniunt leges aliquæ, quæ verè contrariæ apparent, debemus eas secundum veram & commodam rationem distinguere, & accipere, & quodammodo concordare, tanquam diuersas, non aduersas existentes: vt loquitur textus in capit.cum apostolica. de ijs,quæ fiunt à præla. sine consen.capitu. & secundum quod ait beatus Hieronym.quæstio.ij.super Genesin: Cùm videatur scriptura esse contraria, vtrunque verum est, cùm diuersum sit.
3 neque enim dicitur † discrepare, quod oportet diuersis casibus diuersimodè conuenire: vti scripsit Bald. in consil.304. quanquàm diuersum pro contrario scriptum sit infr.constitutio.3. §.supradictis. & alibi: cùm scilicet id maximè sit diuersum. Ad hæc,egregio tractatu ad Cantiunculam ostendit
4 Zasius, nullas † prorsus antinomias esse in iure,quæ non conciliari possint & complacari.

Illis etiam,quæ in desuetudinem abierunt.) Nota etiam non admit-
1 ti † quæ consuetudine sunt abrogata,non secus, quàm quæ lege scripta. æquè enim consuetudine atque lege scripta tollun tur,& contraria sunt consuetudini atq; legi scriptæ. l.de quibus. ff. de legib. Ideóque tanquàm talia & superfluò chartas occupantia,sunt exterminanda.c.si Romanorū.19.dist.Porrò relinquuntur quædam, vt eorum cognitione quadam in re vtiliter instruamur: vt notant gloss. & cæteri in cap. vlt.7. dist. & Instit. de testa. in princ. Floria. in l.j. ad fi. ff. ad leg.
2 Aquil.illa verò videlicet, quibus potissimùm † vtimur, fre-

quentia & quotidiana, sunt præcipuè sancienda & tractanda. in quo & l. 3. & seq. ff. de legi. l. legaui. de adimen. leg. l. iusto. de vsucap. l. si constante. §. quoties. solut. matri. l. j. in prin. de aut, & consen. tut. l. j. ad exhib. ff. l. j. §. sed & si: de veter. iu. enu. inf. l. cùm nō solùm. de bonis, quæ lib. & procem. Decreta. §. sanè. procem. Sexti. §. nos ad. procem. Clemen. §. dudum. atqui hæc non magis, quàm alia amplectenda, quia lucro futura sint, vt docentibus plerisque videmus esse persuasum: qui plerisque in initijs suorum Commentariorum & interpretationum, id quod sunt interpretaturi, vel maximè cōmendant, quòd aura & pecunijs sit plenum. Cōmendatur à Neotericis Substitutionū materia, in rub. de vulg. ff. quòd
3 Cumanus referat se viua voce † audiuisse Baldum dicētem, quòd in ea materia quindecim milia ducatorum lucratus erat, & plusquàm de omni alia materia, quæ sit in corpore iuris. & dicit Bartol. in sexta quæstione repet. l. Cæsar. de publica. ff. intro materiam auream, & plenam denarijs. & Alex. & Ias. in rub. de re iudic. ff. aiunt eam materiam plenā auro. Pariter verò despiciunt ij, & dehortantur ab ijs, quæ lucrosa minimè apparent, vt facit Rosellus ad auten. ingressi. inf. de
4 sacros. ec. quales † panilucros nostros eleganter appellat Droseus in præfatio. Meth. iu. Nec desunt, qui similiter affecti
5 vel inde sint iuuenes alioquin egregij spiritus. Aduocatos † & cæteros id genus, qui versantur in curijs, hoc malo teneri nō est quod admoneam, quibus peculiare habetur πολυπραγμονεῖν. quos ferè nemo nescit nihil nisi pecunia facere, atque ideò illi tantùm studio addictos, quod est pecuniosum. itaque materiam beneficiariam plurimum laudant, & veluti olim fecisse di-
6 cuntur Stratocles † & Dromoclides, ad forum & tribunal quasi ad auream messem inuitare solent. Et quidem, sicut inepta ac inerudita, ita pestilens vox vbique agnoscitur, scientiam quæ de pane lucrandro non sit, scientiam non esse, sed inscitiam ac dementiam, vt bellè inquit Nicolaus Beraldus oratione sua de vetere ac noua iurisprudentia. nanque vt dicere solitum accepimus à patre preceptorem suum Iudocum Lauerrinum Iuris interpretem doctissimum, nihil scriptum est, quo non aliquando maximè opus esse possit, & decori & lucro maximo: dictum etiam pulchrè à Vlpiano in l. j. de var.

&

7 & extraor.cognitio. ſanctiſsimam † eſſe ciuilem ſapientiam,
quæ numario pretio non ſit æſtimanda. itaque cùm omnia,
tum frequentia vſu amplectenda ſunt; maximè propter eo-
rum dignam cognitionem, vt proſimus hominibus. quan-
quàm & ſecundo loco poſſumus ſperare neceſſaria inde nos
poſſe comparare, vel etiam iuſta lucra facere, quibus ſimili-
ter hominibus prodeſſe amplius valeamus. c.cùm ſecundum.
de præb.cap.extirpandæ.eo.ti.in quo Ioan.Fab in procem. ad
Inſt.& Ioannes Fauẽſis tract.de modo ſtuden. Et facit, quòd
8 qui de patrimonio viuere poteſt, † nihilominus poteſt ab ec-
cleſia accipere ſtipendia, dummodo non gratia cupiditatis,
ſeu augendi diuitias, aut ditandi propinquos, vel vt luxibus
impendat. De quo Doct.in.cap.clericos.1.q.2. Cæterùm, non
omnia vſu frequentia ſeruanda ſunt: arg.ff.de off.præſ.l.ſed
licet. & ibi gloſſ. & Baldus notat ibi expreſsim, quòd mala
9 † practica non eſt ſeruanda. verùm ea, quæ vſu obtinent, ſi
planè praua non ſint, & in dubio contemptis iuris ſubtilita-
tibus ſeruanda ſunt, ſicque practica cum ea apparet, vt tradit
ipſe Bald.conſil.136.& idem vult conſil.358.& conſil.472.&
10 ait conſil.353.quòd † boni ſtyli ſeruandi ſunt, quia inuenti à
peritioribus.& hic eſt ordo iudicio præſcriptus, veluti con-
ſuetudo, ſecundum eundem Bal.in l.cum de.de leg.ff. de quo
not.in l.j. de ſacro. inf. & per nos in l.4.eo.ti. quem pro lege
ſeruandũ ait, & Guido Pap. in conſil. 123. tametſi in contra-
riũ eſſet diſpoſitio Iuris, l.ſi quando.in fi.inf.de iniurijs. §.quę
omnia.de ſatiſda.inſt. & facit Bald. & ad eum not. in. c. j. ad
11 princ.de feud. cognitio. & ſi hic planè non ſeruetur, † actus
eſt nullus: vt tradit Bald.in l.de quibus.col.7.de legib.ff. aitq;
Aimon Craueta conſil.91.quòd vera interpretatio ſumitur à
practica, ſeu ab eo, quod fieri conſuetum eſt.l.minimè. de le-
gib. ca.cùm dilectus.de conſuet.Bal.in cap.j.de feu.ſine culp.
12 non amitt.& in.c.illud.de excuſ.tut.ff.quòd ab antiqua † pra
ctica non eſt recedendum. quem etiam refert in hoc faciens
Marſil.in initio ſuæ Practicæ.facitque Bal. in l. Aemilius. de
minor.ff.& Ioan.Neuiza.in ſylua nuptia.
1 *Certas.*) Nota certas † leges & ius certum eſſe debere. vnde
etiam ait ad Nicoclem Iſocrates: πρῶτον ἢ συμφέρειν τὴν τῶν βασιλέων
γνώμην ἀμετακινήτως ἔχειν περὶ τῶν δικαίων, ὥσπερ τοὺς νόμους τοὺς καλῶς κειμένους. Et hæc
gene

2 generalis legum ratio est, qua † tantum plurimę leges consta re videntur, vnde non omnium ratio reddi posse dicitur, sci-
3 licet particularis; & omnes ratione † constare dicuntur, scilicet vel generali, vt ius certum sit, & finis Iuris, concordia hominum consequatur.

1 *Et breui sermone conscriptas.*) Nota breuitatem † amicam legibus, abhorrentémque verbositatem, vnde Caius in l.j. de origi.iur. non quòd velim, inquit, verbosos cõmentarios facere, & B. Bonauentura in Commentario psalmi. 118. cap. 3.
2 vers. 11. ar. 3. tradidit multiloquium vitandum, † & præferendum breuiloquium, propter tria: ne stulti iudicemur, ne peccemus, & puniamur. in quo & l.j. quod met. caus. l. Gallus. §. quidam rectè, de lib. & posth. ff. §. j. quod cum eo, inst. & ibi pulchrè not. ad hæc. c. sacrosancta. 16. dist. vbi bellè ait Card. Alex. nota laudandum in scriptis alicuius, quòd nedum necessaria & vtilia scripsit, verùm & multa breui sermone contexuit. Vnde intelliguntur reprehensione digni, qui multa ci-
3 tantes, lõgos commentarios faciunt, † præsertim in rebus non necessarijs seu inutilibus. Ad idẽ cap. si recto. dist. 46. vbi idẽ
4 Cardi. notat contrarium morẽ † inualuisse per studia Italiæ, quo sanè & cæteri cum Italis malè audire, & meritò videtur, tradidit autem & Bologni. in auten. habita, ne fil. pro pat. inf. nu. 57. doctores esse doctoratu priuandos, si sint nimis verbosi, quoniam ob id indigni sint, cùm verbositas nõ cõueniat tantæ dignitati. Paritérque vult glos. in. l. ex ea. ff. de po-
5 stul. quòd † procurator seu aduocatus nimium verbosus potest ab officio repelli, & notatur tex. per Bar. & Curtium. in l. 2. §. quòd si actor. de iureiur. propter calũ. de. infr. cõtra aduocatos dicentes se velle abbreuiare verba, posteà verò vtentes magna prolixitate verborum. in quo etiam Paris Puteus in tracta. synd. tit. de excess. aduoc. & cap. Iudex in tribunali, voluminis, quod in folio dicitur, fol. 76. & Ponta. sing. 742. & Panor. in procem. Grego. nu. 4. & quoniam autoritate sua Iudices sæpenumero abutuntur, auscultantes diutissimè, & magna ex parte superfluò loquentes, eos quibus fauent, vel quos verentur, pusillanimitate quadam, impudẽtes, inquam, veteratores lingulacas, contrà verò conturbantes statim, & non sinentes loqui simplices, illos cohibere debere oportet, intel

intelligant ex prædictis, hos patienter audire. l. proximè. de. ijs, quæ in testamen. delen. ff. & nota. tandem à Rebuff. in l. si quando. de bon. vacan. infr. text. pro aduocatis, qui dicunt Iudici, Domine audiatis vnum verbum si placet, nolo dicere nisi vnum verbum: quòd etiam si multa dicant excusantur. cùm ea scilicet è re esse apparent: argumento etiam l. j. de reb.
6 cred. ff. Cæterùm habemus Principis† constitutiones multas in Regno, quòd aduocati in omnibus breuiter agant, Caroli 7. artic. j. & 50. & in ordina. styli Parla. 24. & 37. & Caroli 8. artic. 26. & in vltimis Francisci, artic. 43. Ad hæc facit glossa, & Cardina. in cap. tales. 23. distinct. & Scotus in 4. senten. distinct. 6. & Conrad. in procem. tracta. de contract. colum. penul. & notat per hunc text. & simi. Bartol. in l. vbicunque. colum. 7. de interroga. actio. quòd positioni superfluæ non est respondendum. de quo plura Francisc. Curt. in tracta. de iuramen. calum. In materia positionum, breuiloquio 15. & idem tradit Iacob. ab Are. in suo tracta. positio. colum. 6. versic. no-
7 uissimè. Præterea, animaduertendum† est, leges summi principis Dei, quas cæteræ, quantum fieri potest, imitari debent, breui sermone conscriptas esse: sicuti ait diuinus Hieronymus in caput Ecclesiastici vltimum: Sacra scriptura breui circulo coarctata est: quantúmque dilatatur in sensibus, tantum in sermone constringitur; quia consummatum breuiatúmq; sermonem fecit Deus super terram, vt dictum est ab Apostolo ad Romanos 9. cap. beatus Chrysostom. in Gene. homil. 23. Diuinorum eloquiorum natura in paucis verbis, multas sententiarum affert diuitias, & ineffabilem diligenter scrutari volentibus thesaurum largitur. Idem in eundem lib. homilia 39. Magna diuinæ scripturæ virtus est, & multæ in verbis latent sententiarum diuitiæ. Quinetiam firma sententia om-
8 nium veterum fuit,† diuinæ atque humanæ sapientiæ totius integram cognitionem in quinque libris Mosaicæ legis includi, dissimulatam autem & occultam in literis ipsis, quibus dictiones legis contextæ sunt, vt docuit Ioan. Picus in expositione priorum verborum Geneseos, quam heptaplum appellauit. & dixit Ioan. Selua in tracta. de beneficio, parte prima, quæstio. 5. requ. 7. quòd in paucissimis illis literis, vocis quæ legitur in passione Domini: Consummatum est: omnis

ſcientia continetur. Porrò, vt ait Lucianus quodam dialogo
9 † de hiſtoria, breuitas in omnibus vtilis eſt, maximè ſi non inopia quadam fuerit rerum dicendarum, déque ipſa hiſtoria Cicero libro, quem de claris Oratoribus inſcripſit: nihil eſt in hiſtoria pura & illuſtri breuitate dulcius, & idem autor eandem Oratori, maximè verò Senatori & cenſenti conuenire docuit libro de Legib.tertio.dicens:Breuitas non modò Senatoris, ſed etiam Oratoris,magna laus eſt in ſententia. Id quod ſcilicet in vniuerſum de ſufficiente, moderata, & commoda breuitate eſt accipiendum, docente etiam Plato-
10 ne in dialogo de Regno in hunc modum: Maximè†omnium primùm honorare progreſſum oportet, quo ſcilicet ſpecies diſtinguere valeamus, diſputationémque longam haud moleſtè ferre, ſed affectare potiùs, ſi quomodo ad inuentionem nobis confert ſimiliter & breuem.Decet item eum, qui longiores ſermones vituperat, circuitúſque diſputationum huiuſmodi non admittit,haud leuiter temeréque damnare prolixitatem,ſed oſtēdere priùs diſputatione breuiore & promptiores ad diſſerendum & ſagaciores nos,ſi ſequamur, reddi: aliâs autem & aliò tendentes increpationes laudésve nec curare penitus,nec audire oportet. ſícque Ioan.Neuiza. in Indice librorum Iuris,ſecundo ait: Qui dicunt verboſas leges,con ſiderent eas,& breuiùs loquantur,ſi poſſunt. Beatus Auguſtinus in prologo retractationum: Abſit vt multiloquium deputetur, quando neceſſaria dicuntur, quantalibet ſermonum multitudine ac prolixitate dicantur. Ad hóçque cap. Romani.§.nos itaque. & ibi Cardina. in quarto notab.in clemen.de
11 iureiuran.& imprudens ſanè†breuitas parit obſcuritatem.ſecundum illud Flacci in arte Poëtica:

Dum breuis eſſe laboro, obſcurus fio.

De quo Io,Calde.in repe.c.cùm dilectus. col.j.de cauſa poſſeſ. & propr. Item Oroſ.lib.3.in princ.breuitas atque obſcuritas, imò,vt eſt ſemper obſcura breuitas, & ſi cognoſcendi imagi-
12 nem†præfert,aufert tamen intelligendi vigorē.& id plerique nimium diſertis accidere ſolere ait D.Hiero.in explanatione pſal.89.ad Cyprianū,vt maior ſit intelligentiæ in eorū explanationibus,quàm in ijs, quæ explanare conantur,difficultas. atque his bellè conuenientia ſcripſit M.Fabius libro quarto. cap.2.

cap.2. Nos breuitatem in hoc ponimus, non vt minùs, sed ne plus dicatur, quàm oporteat. nam superuacua cum tædio dicuntur: necessaria cum periculo subtrahuntur. quãtum opus est autem, non ita solùm accipi volo, quantum ad iudicandum sufficit: quia non inornata debet esse breuitas: aliòqui fit indocta. nam & fallit voluptas, & minùs longa, quæ delectant, videntur: vt amœnum ac molle iter, etiam si est spatij amplioris, minùs fatigat, quàm durum arduúmque compendium. nec enim mihi vnquàm tanta fuerit cura breuitatis, vt non ea, quæ credibilem faciunt expositionem, inseri velim.
13 simplex † enim & vndique præcisa, non tam narratio vocari potest, quàm cõfusio. nec tam obest audire superuacua, quàm ignorare necessaria, vt idem ait lib.12.cap.8. Improbat tamen hic sententiarum gratia verbosissimos locos arcessere, cùm ex locis debeat nasci sententia. quod maximè inconuenit, de quo loquitur, Oratori nõ adeò docenti: ac ne vllo modo inconuenit sæpe, vel nostro æuo tolerandum, vt pluribus prosis: quibus non tantùm sæpe dicenda, quæ pulchra sunt; sed variè etiam inculcanda, & variè eorum fides facienda.

1 *Et congruis subdere titulis.*) Nota in † compositionibus omnia ritè collocari debere, & aptè respõdere suis titulis. facit gloss. inst. de rer. diuis. in princ. & August. lib. de vera religione, cap.30. dicens: in omnibus artibus placet conuenientia: qua vna salua, & pulchra sunt omnia. Hinc argumentamur à titulis ad leges ipsas, dicentes, leges interpretari † maximè de-
2 bere secundum titulos, sub quibus positæ sunt. Barto. in l. is, cuius. col.2. si seruit. vend. ff. ad hócque allegant l. Imperator. ff. de in diem addictio. Angelus in l. iubemus. ad Trebel. inf. Bart. in l. ventre. col.2. de acquir. hær. Barbat. in cap. cùm ab ecclesiarum. col.6. de off. ordi. & in rub. de libel. obla. col.j. allegans etiam cap. vt litigantes. de off. ordi. in 6. & in consil. 4. vol.4. not. in cap. tibi, qui. de rescrip. in 6. Ad idem laudat Ioannes Igneus in repe. l. donationes, quas. col.j. de don. inf. legem vltimam, cum gloss. in princ. de cõdict. indeb. ff. & facit gloss. fi. in l.2. de episc. audien. atque dixit Bal. in l.2. inf. quan.
3 prouoc. non est necess. quòd rubrica † declarat dubium textus. idem Barbat. in repe. rub. de fide inst. & Panor in cap. nónne. de confirm. vti. & inutil. notat, quòd quandocunque

4 plures † sensus possunt elici ex vno textu, ille amplectendus est, qui conuenit rubricæ, hoc est titulo, & tractatui qui per eum significatur. Cæterùm, in hoc, regularum cancellariæ Scholiastes in titulum siue inscriptionem ipsarum regularũ, & Barbat. tract. de testib. col. j. & Ias. post alios in l. j. not. 2. de reb. cred. Bar. in rub. de eo per quem fact. erit. & alibi sæpe.

5 Tandem † nec prætereundum duximus hos titulos non malè à doctoribus rubricas dici, quanquàm id Nebrissensis in lexico subnotet. nam imitatione eius, pro quo accepit Persius

6 † Satyr. 1. rubrica rectè titulus dici potest: qui vt plurimùm & in libris antiquis & recentioribus ruber est, atramento coloris eiusmodi exaratus, seu excusus, vt Restio ille fabrorum rubro tinctus, quem Persius inquam disertissimus Satyricus Rubricã appellauit. in quo plura refert Penna, in tit. de iur. fisc. inf. quin ipse ad rem quoque Persius Satyr. 5. sic ait:

Vindicta postquàm meus à prætore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcunque voluntas?
Excepto si quid Masuri rubrica notauit.

Vbi etiam Nebrissensis adnotat, Persium appellasse rubricã, titulũ ex rubrica siue minio, aut purpurisso scriptum. qualis est ad rem, de qua loquitur Persius, adhuc inscriptus, De operis libertorum. vnde etiam apparet titulum seu rubri-

7 cam † accipi pro tractatu, qui sub ea fit. sícque M. Fabius lib. 12. cap. 3. ait, alios se ad album & rubricas transtulisse. & Iuuenalis, Satyr. 14. leges, rubras appellauit.

Tit. De Iustiniano Codice confirmando.

Inſcriptio legis vnicæ.

1 PIus.) Primùm† Aurelius Antoninus, qui Adriano in Imperio ſucceſsit, dictus eſt Pius: & inde plerique alij Imperatores hoc ſibi cognomen, quomodo & Antonini habuerũt. Id quod etiam Aimarus Riuallius lib. hiſtoriæ ciuilis 4. edidit, inquiens: Titus Aurelius Antoninus, Pij cognomen clementia & probitate meruit, ſucceſſoribus quoque reliquit. & ſi-
2 militer ante hos† dudum Aeneas, à quo principes Romani ſe
3 Aeneadas vocant, à Poëta ſuo dictus eſt Pius: necnon† Oreſtes peruerſa pietate, dedecus necémque patris nece patris vindicans. & ita alij. fuerúntque ſummi in eccleſia principes huius nominis, vt liquet. Porrò ita legimus apud Aelium Spartia-
4 num in Adriani vita: Antoninus quidem Pius† idcirco appellatus dicitur, quòd ſocerum feſſum ætate, manu ſubleuaret. quanuis alij hoc nomen adeptum aiunt, quòd multos ſenatores Adriano iam ſæuienti eripuiſſet. alij, quòd ipſi Adriano magnos honores poſt mortem detulit. Sed hoc quidem non magnæ pietatis argumentum eſt: cùm impius ſit magis, qui iſta non faciat, quàm pius, qui debitum reddat: vt ait Iulius Capitolinus in eiuſdem Antonini vita: addens eum Pium appellatum, vel quòd cùm Adrianus ſe interimere vellet, ingenti cuſtodia & diligentia fecit, ne id poſſet admittere: vel quòd verè natura clemẽtiſsimus fuit, & nihil temporibus ſuis aſperum fecit. quod & probatur Eutropio, qui de geſtis Romanorum octauo libro, ſcripſit Antoninum, Pium propter clementiam dictum. licet adhuc ex Coccio Sabellico addere, quod ait Aeneadis ſeptimæ lib. 4. fieri potuiſſe, vt inter primas fauentis populi acclamationes fuerit Pius cognominatus, vel ex prædictis ſcilicet, hincque cæteri. quemadmodum ait Eutropius, ad ſuam vſque ætatem in Senatu principibus acclamatum: Ne ſis felicior Auguſto, melior Traiano. atque
5 ad ipſum Iuſtinianum ex iſto† Antonino huiuſmodi appellationem perueniſſe, expreſſum eſt in autenti. vt liberti de cætero aureo non indigeant anulo. §. vlti. Præterea, poteſt hîc ex-
6 poni Pius, id eſt religioſus† & catholicus. Id quod videtur fe-

çisse Gratianus; qui cùm Pium retulerit Iustinianum in capi. quod suspecti.3.quæsti.5.eundem scribit catholicum ex Concilio Parisiensi tempore Ludouici celebrato, in cap. de illicita. 24.quæstio.3. ad idem facit Ioan. Papa in ea epistola, quæ habetur in antidoto diuersarum hæresum. Item epistola inf. sita sub titu.de summa trini.& fide catho. Ad hæc Procopius eius temporis historicus, ipse quoque vt apparet Pius, in libris quos de Iustiniani ædificijs scripsit, cùm plura pijssima & religiosa ædificia magna cura & impensis ab Iustiniano constructa, narrat, tum templa ipsi Deo & diuis, tum pauperum & miserorum hominum habitacula, tum impudicarum mulierum: his eleemosynas item multas erogasse, & à malis plurimis & corporis & animæ pio animo & religiosa Christianáque pietate eripuisse testatur. Id etiam maximè hoc lo-
7 co est animaduertendum, quòd idem refert † miracula non parua Iustinianæ pietati à Deo concessa, ipsúmque abstinentem religiosè admodum vixisse. quod nemo, nisi Iouiniani Epicuri Christianorum nomine tenus, sectatores impij, non admodum Pium dicet, commentis inanissimis dudum demonstratis à beato Hieronymo, tum locis multis ipso ac pluribus alijs omnino comprobantibus, & mirè solidè statuentibus hancce abstinentiam: quippe sanctissimis Essenis, quibus cum conuersatus est Baptista Ioannes Seruatórque noster Christus: vt colligit Zieglerus, & filijs Prophetarum veteris instrumenti cum solitudine vsitatissimam. de qua & Zaga Za-
8 bo † præsul Aethiops ait, plurimùm etiam eos dominum diligere, qui abstinent à carnibus, & multò magis eos, qui ieiunant pane & aqua & herbis, vt Ioannes Baptista eremita vltra Iordanem fecit, qui semper vsus est herbis, ait. De quo si-
9 militer beatus Matth.cap.3. Certè † aliquando ipsum Iustinianum Imperatorem grauiter ægrotantem, cùm iam moriturus videretur, à medicis derelictus, ac in numerum penè mortuorum relatus, in visione apparentes diui seruauerunt Cosmas & Damianus. Idem ægrotabat aliâs, rheumate grauiter cruciatus: cuius rei ipse potissimùm sibi causa fuerat. nam die bus omnibus, qui Paschalia festa præcedunt, quæ ieiunia nuncupantur, dura quadam victus ratione vsus est: quæ non modò in Rege absurda esset, verùm etiam homine quouis in Republ.

publ. quomodo verſanti. duobus enim diebus perſeuerauit
10 abſque vllo cibo:idque cùm è lecto ſummo mane† ſurgeret,
vigilarétque pro Republica, ſempérque & opere & ſermone negotia publica pertractaret matutinus, & meridianus, nec interim noctu ceſſaret. nam cùm cubitum iuiſſet,& profunda iam nocte ſurrexiſſet,non multò pòſt veluti ſtragulis oneratus,ſi quando etiam cibum ſumeret,à vino & pane cæ-
11 teríſque eſculentis abſtinebat.herbas autem duntaxat† eſitabat,eáſque ſylueſtres, longo tempore ſale atque aceto maceratas.potúſque fuit illi duntaxat aqua. nec harum rerum ſatietas illum cepit vnquam,cùm & in conuiuio hiſce guſtatis edulijs, quæ ei conuenirent,abſtinuerit,cùm non dediſſet naturæ quod ſatis eſſet.hinc igitur inualeſcens morbus medico
12 rum auxilium ſuperabat. intereà verò cùm † lapicidæ foderent in templi martyris Irenes conſtructionem, inuentę ſunt reliquiæ iam olim virorum ſanctorum quatuor,qui cùm Romani eſſent milites, in duodecima legione deſcripti fuerant, quæ in vrbe Armeniæ Melitene quondam fuerat conſtituta. quas tum in apertum prolatas cùm Iuſtinianus audiſſet, relicta humana arte, fiduciam ad eas vertit. & cùm ſacerdotes arculam ſanctorum corporum genibus ipſius impoſuiſſent, confeſtim morbus euanuit: repentéque oleum effluens ſuper arculam de reliquijs pedes ipſius Imperatoris veſtéſque perfudit,vt latiùs adhuc ſcripſit Procopius ædificiorum illius lib.j.Platina item,cuius tanta eſt autoritas, vt velut ſacroſan-
13 cta & ſibyllinis folijs veriora,quæ ſcripſit † exiſtimanda dixerit Balbus epiſcopus lib.de coronatione,cap.pe.in Bonifa-
14 cio 2. retulit Iuſtinianum libros † de incarnatione Domini eleganter ſcripſiſſe:templúmque in honorem Dei ſanctæ Sophiæ nomine, quo nullum eſt in orbe maius, ſua impenſa ſuóque iuſſu ædificatum.abbáſque Tritemius lib.de eccleſia-
15 ſticis ſcriptoribus,ſcribit Iuſtinianũ aduerſus hęreticos†ſcripſiſſe de incarnatione Domini, contra Eutichetem libros tres, & contra Epiſcopos Africanos, librum vnum.fecit & D.Hierony.eius argumenti librum: cui tamen eſt vulgò titulus,De viris illuſtribus, ipſius verò Hieronymi etiam teſtimonio quadam ad beatum Auguſtinum epiſtola,propriè inſcribendus, De ſcriptoribus eccleſiaſticis. quem librum imitatus

tatus proſecutúſque ad ſua tempora Gennadius etiam Iuſti-
niani, vt quidam referunt, meminit, etſi ego non reperi, nec
reperiri poſſe id quidem ſecundum chronographiã videtur.
Porrò verò Ioannes Faber & dignitate quondam apud nos
maximus, & doctrina plurimi habitus, grauis ac bonus, quan
16 tum † videtur proculdubio vir, teſtatur ſe vidiſſe in catalo-
go Sanctorum, deſcriptum Iuſtinianum Calen. Auguſti. &
refert Bartolus in ſuperiorem Codicis inſcriptionem, ſe au-
17 diuiſſe Iuſtinianum † relatum in catalogum ſanctorum. in
quo ego nihil ſtatuere poſſum, cùm nihil certi habeam, ſitq;
extra profeſsionem vtique meam iudicare de facto, quod &
prudentiſsimos homines fallit: cap. j. de conſti. in 6. l. 3. de iur.
& fac. ignor. ff. de quo etiam ait Grego. in cap. habuiſſe diſt.
33. neutiquàm debere abſolutum eſſe iudicium. magis verò
præſumerem etiam ſanctum eſſe omnino, quàm quòd quidã
inſulſiſsimè tradiderunt in hęreſim Eutichianam delapſum,
non bene ſanum deceſsiſſe. idque primùm ex bona & ſancta
18 eius vita & laudabilibus nimiùm operibus, quæ † probatiſsi-
mi autores prodiderunt. quod eſt potiſsimum teſtimonium
in canonizatione, vt ita dicam, Sanctorum, & relatione in di
uos, atq; opinione, vt quis ſaluus & cælo receptus videatur,
ac viuens inter mortales, vt recipiatur, & ſit, quod dicitur,
prædeſtinatus. cap. venerabili. & ibi traditis de teſtib. Item,
cùm receptum in catalogum Sanctorum & ſe vidiſſe aſſeue-
19 ret Faber, & Bartolus audiuiſſe. notum autem teſtem † depo-
nentem de viſu, adminiculari deponenti de fama. quod tra-
didit Bal. in l. pen. lectura ſeu interpretatione. j. de conditio.
inſt. infrà. Ad hócq; cap. vlt. §. j. & ibi Panor. 5. not. de ſucceſſ.
20 ab inteſ. & † notant Butrigarius ac Flori. in l. ſi arbiter. per
illum tex. ff. de probatio. teſtem de auditu dici probare. Cur-
tius autem tracta. de teſti. conclu. 31. quòd facit indicium &
præſumptionem, per quam transfertur onus probandi in ad-
uerſarium. Quòd autem plenè probet, tenuit Bald. in l. Gal-
lus. §. ille caſus. de liber. & poſthu. ff. & ibi defendit Socinus.
Adhæc, nota eſt iuris regula, in dubijs fauendum animæ, fa-
uendum religioni, etiam ſi aliòquin minùs veriſimilis videa-
tur pro hiſce opinio, ſiue, vt aiũt, durior. Alex. in add. ad Bart.
conſil. j. Anch. conſil. 69. cap. fi. de re iudic. c. eſtote. de reg. iur.

gloſſ

gloſſ.in cap.ſunt non.diſtinc.46.Dein facit plurimùm, quod ſingulariter colligitur ex cap.quando.ij. de conſec.diſtinc.4.
21 In † dubio præſumendum nedum magis bonum, quàm malum alicui ac eius animę eſſe, ſed etiam ex duobus bonis melius. ídque præſumere pium eſſe dici quoq; poteſt. l.ſeptimo. & ibi not. per Bald.de ſtat.homi.ff. & de ipſa corporis libertate, quæ non tam digna & fauorabilis haud dubiè eſt, quàm libertas animæ. ipſe Vlpianus docuit in eius fauorem interpretationem fieri debere, etiam quæ durior fuerit. l.iij.§.vlti. de ſuis & leg.hæred.& palam eſt fauores & priuilegia libertatum, piæ cauſæ, quæ animæ maximè eſt, tributa eſſe: vt tradidit Socy.in l.Mutianæ. de conditio.& demonſtrat.ff. Vnde
22 ſicut non adita hæreditate † fauore libertatis temporalis bona poſſunt addici, ſic multò magis fauore libertatis æternæ multò dignioris, legata, quæ videntur tendere ad libertatem animæ, peti poſſunt: vt docet Ioannes Imolen. in l.qui filio.§. ſeruus.colum.iij. de hæred.inſtitu.ff. tradunt quoque Docto. quod & ad rem facit, magis credendum paucis affirmantibus, quàm multis negantibus: vt eſt gloſſ. in l.diem proferre. ff.de arbi.& in hoc Panormi.in cap.cùm in tua.de teſti. Item, Anchara.conſil.338. Franciſc.Curt.tracta.de teſt. quæſtio.25. Oldrad.conſil.184. Bald.conſil. 80. Deci.conſil.173. ídque in deponentibus ſuper conſcientia vel animo alterius, obtinere tradidit cum Innocen.Florianus in cap.ei incumbit. ad fin.ff.
23 de probatio. Inſuper videtur credibile † eſſe, quod probabile eſt.l.ſi ſecundum.ff.de milit.teſtamen.minimè verò credi debere, ac ne audiri quidem, quod veriſimile non eſt, cap.quia veriſimile.de præſump.cap.ſuper hóc. de renunt.cap.ij.de reſtitu.ſpolia.l.peculium.§.prætereà.ff.de pecul. Anchara.conſilio.194. Marſil.conſil.83.& omnino admittendum videtur, quod veriſimilius eſt.ca.licet.§.quanquam. de probatio.l.obli
24 gatione.de pigno.ff. & † præſumptioni veroſimili adeò ſtandum eſt, vt non niſi euidentiſsimè probetur contrarium, recedi debeat ab ea.l.nuptura.de iure dotium.ff.atque plura ſeu multa veroſimilia inducant plenam probationem: vt docet Craueta conſilio.61. Hisque ſimiliter magis probauerim opi
25 nionem, † quæ habet, integra virginitate Hieronymum deceſſiſſe, præcipuè cùm ita ſcripſerit in epiſtola ad Euſtochium

F de

de laude virginitatis:virginitatem non tantùm efferimus,ſed ſeruamus.Item:Mihi virginitas in Maria dedicatur & Chriſto. Item: Meum ſemen centenaria fruge fœcundum eſt,quæ non tam poſſunt cauillari, quàm confutari,vel videri nequaquàm eſſe contraria hiſce, quæ pro ſententia aduerſa Eraſmus adduxit in vita Hieronymi ipſius: vbi ſcilicet ipſe ait,in lubrico adoleſcentiæ itinere ſe lapſum, & item,virginitatem ſe in cælum ferre,non quòd habeat, ſed quia magis miretur, quòd non habeat. Quæ quidem dixiſſe videtur, omnino minùs ſibi parcens,vt ſolet,vel quia mente laſciuiori in impudicitiam lapſus eſſet adoleſcentior exiſtens.cùm ipſe in dicta ad
2 Euſtochium†epiſtola, etiam vir factus de tentationibus carnis in ſe multa ingenuè fateatur,& dicat,perire & mente virginitatem:vnde virgines malæ dicuntur. Atqui etiam beatus Auguſtinus epiſto. 205. ad Cyrillum epiſcopum Hieroſolymitanum de laudibus beati Hieronymi inſcripta:& ipſe Cyrillus altera ad beatum Auguſtinum epiſtola de miraculis beati Hieronymi, etiam Cyrilli epiſcopi Alexandrini viſio-
27 ne, tradunt diuinitus reuelatum,† beatum Hieronymum vita functum,beato Ioanni Baptiſtę per omnia in gloria æquatum,ſicut ęqualis ei fuerat in vitę ſanctitate: cùm tamen ipſe beatus Hieronymus duobus tantùm ſertis coronatus videretur,beatus verò Ioannes tribus: Fortè,quòd diuturnitate dierum beati Hieronymi, multa mala ab ipſo lata,quadam compenſatione comparata martyrio beati Ioannis Baptiſtę intelligantur. cognitum eſt enim ex euangelij textu Ioannem Baptiſtam florulenta admodum ætate ſub Herode necatum, cùm tamen beatus Hierònymus demum expletis nonagintaquatuor annis ad Chriſtum migrauerit: vti ſcripſit Paulus diaconus libro decimoquarto. Illa verò duo ſerta, ſcilicet, virginitatem in Hieronymo permanſiſſe, & doctrinæ præſtantiam,fuiſſe denotant. quibus, vt martyrio aureolas ſpeciales, & inde quandam gloriam maiorem dari diuinitus Theologi tradiderunt: & ipſe in dicta epiſtola beatus Auguſtinus, etiam inquiens, maiorem vel minorem gloriam Sanctis eſſe, inquantum magis, & minùs diuinam contemplantur ſpeciem & cognoſcunt. Nec dubium eſt catholicis gloria æquali Sanctos in Paradiſo nequaquàm donari. quod

quod docet ex professo aduersus hæreses Pet. auratus parad.
28 34. déque his sertis inter alios † multos Ioannes Charterius Gersonensis, non contemnendus theologus, tradidit in florem beati Bernardi librum cap.6. & cecinit eleganter Ala-
29 nus Anticlaud. lib.5. † ita:

Cætibus Angelicis tales adscribit honestas
Vita, virtutis meritum, mercésque laboris,
Quos vel virgineus candor, vel purpura vestit.
Martyrij, vel doctoris sua laurea ditat:
Vel quos aureolæ munus non excipit, omnes
Aurea communi fretos mercede coronat:
Cùm sint diuersi merito, meritúsque resultet
Splendor inæqualis, lux dispar gaudia cunctos
Aequa manent, risúsque pares, vbi dissona merces:
Nec mirum, si lætitia par gratia cunctos
Expectat, quibus vna datur pro munere vita.
In quibus ipse Deus, est omnibus omnia, donum
Et donans, dans vni plurima, pluribus vnum.

30 Porrò † verò sic, licet Cęlestinum ex eremita factum Papam, nonnulli accusent stultitię, quòd Papatum dimiserit, vt facit insolenter nimiùm Bal. in cap.j. de natur. feu. rectiùs alij sentientes, eum interpretãtur fecisse id humilitate, Deo non ingrata: quando & sanctitate vitæ & miraculis tandem in numerum diuorum est relatus: vt ait beatus Antoninus in summa historiarum, par.3. tit.20. cap.4. in princi. de quo & si. in
31 cap.j. de renunt. in.6. Denique † animaduertendum est, quàm probè conueniat prędictæ interpretationi, significatio ipsius vocis, Pius. is enim verè religiosus dicitur, & pietas sapientia, & religio. quod est summum & vnicum hominis bonum præclarissimum. quod vnum si auferatur ex animis hominum, veluti sol è cælo tollitur, & caligo perpetua humanis rebus infertur: vt præclarè scripsit Ioannes Sichardus quadã
32 ad Sigismundum Poloniæ Regem epistola. vnde † & Theophilus Alexandrinus episcopus lib. paschalis 2. super omnia quasi culmen & corona virtutum pietas in Deum, toto cordis timore seruetur, ait. Et Gregorius Nazianzenus in oratione, quam altero die electionis suæ egit in laudem Gregorij Niceni, Hinc nihil aliud, quàm eusebiã Asportanius, inquit, id est pietatem in Deum, vt interpretatum est in Theo-

philo. quemadmodũ etiã docet beatus Augustinus in enchiri
33 dio ad Laurentiũ c.j. dicens: †Pietas est sapiẽtia, ipsa Sapiẽtia dicẽte in libro Iob: Græcè Theosebia: qui est Dei cultus, vel Eusebia, hoc est bonus cultus. idémque ad eremitas sermo. 25. Pietas, inquit, quid aliud est, quàm pura mente colere Deũ, quę alio nomine latria nuncupatur? Item lib. de ciuit. Dei. 14. cap. vlt. nulla est hominis sapientia, nisi pietas, qua rectè colitur vnus Deus. in quo etiam Card. Alex. & Card. S. Sixti in cap. sana. dist. 10. ad idem hic in cap. ipsa 23. q. 4. dicens, quòd pietas respicit cultum Dei & Christianæ religionis obseruã tiam, sine qua sanè pietas non est. Nanq; vti scripsit. S. Paulinus ad Ausonium, pietas abesse Christiano quî potest? argu
34 mentum † mutuum est, pietatis esse Christianum, & impij non esse Christo subditum.

1 *Felix.*) Primus omnium Felicis sibi † cognomen asseruit Sylla: vt autor est Plinius historiæ naturalis lib. 7. cap. 43. & eo cognomine à cæteris dictus est, ob propitiam sibi seculi in negotijs fortunam, vt & docet Appia. Alexandrinus lib. j.
2 quo nomine multi dicuntur, vulgari † dicterio, magis felices, quàm sapientes, hoc est prudentes. quanquàm hic prudens ni
3 miùm fuit, licet prauus: sed & tandem infelix † omnino fuit pediculis vndatim è corpore fluentibus periens, vt & Sidonius denotat, ac planè ad eum adnotat Baptista Pius, lib. 3.
4 epist. penul. Simili † morbo phthiriasis scilicet peremptos
5 alios multos memorans, cuiusmodi † etiam Arnulpho 82. Imperatori Romano exitiũ fuisse narratur: sed & Pipino Crasso Austrasiæ duci: &, si dijs placet, optimo cuidam principis quondam nostri paraedro: & nuper rustico pagi proximi quod dicitur Monsclarus. Eam item potestatem cuiusmodi Syllæ erat, minimè felicem eleganter ostendit Sidonius lib. 2. epis. ad Seranum. Cæterùm, Augustus dictus est felix. vnde cæteris acclamatum Imperatoribus, vt ad præcedentem vocem ex Eutropio diximus: Ne sis felicior Augusto, melior Traiano. vnde & hic dictus est felix à senatu, vt dicit in panegy. Plinius, propter eius animi præstantiam: quan-
6 do ea demum † vera est felicitas, felicitate dignum videri, hoc est, probum & clementem principem. etsi, vt ait idem, hoc vocabulum non moribus, sed fortunæ datur. quod tamen

men etiam confundens.illis pariter tribuit Nonius,quod certe propriè conuenit ei,qui ita natus eſt, vt fortunati, qui diues eſt opum: vt docuit Cornelius Fronto.in differentijs vocum.
7 Cæterùm†Ariſtoteles libro magnorum Moralium primo, & Politicorum ſeptimo, ait tria bonorum genera eſſe, externa, corporis, & animi: & ea omnia adeſſe felici homini oportere: maximè verò, quæ ſunt animæ. Vnde nemo dixerit eum felicem,qui nullam partem fortitudinis habet, neque temperantiæ,neque iuſtitiæ,neque prudentiæ. Vnde & Virgilio Georgicorum ſecundo,dicitur:

Felix,qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Quod beatus Auguſtinus libro tertio, de doctrina Chriſtiana,cap.16.
8 ſibi placere† dicit,vt bonarum & malarum rerum cauſas noſſe debeamus, quatenus eas homini in hac vita erroribus ærumniſque pleniſsima, ad eoſdē errores & ærumnas euadendas noſſe conceditur. Adhæc idem de ciuitate Dei, libro quinto,cap.24. inter cætera elegantiſsimè ait: Felices eſſe principes,ſi tardiùs vindicant, facilè ignoſcunt, ſi luxuria tantò eſt eis caſtigatior; quantò poſſet eſſe liberior. Hincque
9 †bene viuere,ac bene operari, nihil aliud eſſe, quàm felicitas dicitur: quæ conſiſtit in bene viuere, & ipſum planè conſequitur, ὅτι αὐτάρκης ἡ ἀρετὴ πρὸς εὐδαιμονίαν: vt habet Paradoxon Marci Tullij. & ſi quoque contrà tractatus habet Aphrodiſæi præcipui Stagiritæ interpretis, ἐν αὐταρκεῖν τὴν ἀρετὴν πρὸς εὐδαιμονίαν. Quod & nos dicere poſſumus, intelligentes, virtutem non etiam ſibi eſſe finem, præmium, felicitatem vltimam, vt etiamnum aſſerunt Athei, aut intelligentes, ipſam ſolam virtutem ſine gratia Dei non ſufficere ad ipſum finem, præmium, felicitatem, quæ eſt cognitio Dei tandem plena cum vita æterna, vt ſacris apertè docemur & textibus, & traditionibus. Et egregiè facit Poſtellus de orbis terræ concordia, libro primo, capi.19.
10 & ſequen. Iam verò apparet, quàm † rectè dictus ſit dicatúrque felix Iuſtinianus, imprimis Pius, vt ſuprà diximus. Item Imperator exiſtens, ſicque animi ac fortunæ bonis abundè præditus. Nec illi corporis bona defuiſſe videntur: cùm etiam biduò cibis abſtineret omnino, & diutius etiam pane ac vino, & nihilominus modico omnino ſomno vteretur, & plurimùm laboraret, multáque ſtrenuè ageret.

11 conſtátque † ipſum diu imperaſſe, quæ omnia arguunt
12 ipſius corporis firmitatem. pulchritudinem † etiam illi tribuit Baldus in inſcriptionem Digeſto. verbo, Flauius, ſecundùm prædicta notans, decorem etiam corporis conferre ad felicitatem in hoc mundo.

1 *Inclytus.*) Dicitur ob † prædicta & ſimilia inclytus Iuſtinianus, & quiſquis eſt generoſitatis & nobilitatis bonorúmque dotibus præditus & inſignis, vel laude rerum bene geſtarum
2 gloriáque præclarus. Euripides in Hecuba, Iuuenes † Archiuos appellat, inclytos. & ait nuntius apud eundem in Ephigenia: vt inter omnes nempe mortales ſolent & inclyti eſſe ſemper & ſpectabiles, quibus bonis fortuna flatibus fauet. ait & in Oedipode Anneus: & quis peremptor inclyti Regis fuit? dicit & ſanguinem inclytum Hectoris & ſuorum in Troade. Andromacha etiam inclyta iura Priami, & Medea, inclytum decus regni Colchorum, & gloriæ florem inclytum: & manum Palladiam inclytam. In ea chorus, & nuntius in Agamemnone, de eo redeunte à bello Troiano: incolumis, auctus gloria, laude inclytus. & Strophilus reuerti ſe dicit inclytum elea palma: & Dianira, ſuum Herculem dicit inclytum: & Alcmena ſæpe, apud eundem Senecam. & eundem Herculem plurimi dicunt inclytum. Inter quos Claudianus. qui & ait in Panegyr. prima, de laudibus Stiliconis: ſtabat pater inde trophæis inclytus. & Iacob ditatus inclytus dicitur: & Sichem filius principis Emor, Geneſ. 31. & 34. cap. & Ezechias rex. ij. Paralipo. 32. cap. & terra Iſraël inclyta, lamenta. Ierem. 2. &
3 filij Sion inclyti, cap. 4. cui voci † reſpondet omnino Græca κλυτὸς. niſi quòd præpoſita illi ſyllaba ἐν, etiam Græca, in In, verſa, vehementiorem eius facit ſignificationem. Vnde & para-
4 clytus dicitur, † id eſt præter famam, vel infamis. qua voce appellatur Spiritus ſanctus à quibuſdam, errore re ipſa quidem, vt vides, indigniori, quàm qui olim Chreſtum, pro Chriſto
5 dicebant: quod bonum omnino ſignificat. Paracletus † autem dicendus eſt Spiritus ſanctus ἀπὸ τοῦ παρακαλεῖν, à deprecando videlicet, adhortando, ſeu conſolando, vt docuit Origenes Adamantius lib. περὶ ἀρχῶν ij. cap. 7. Ambroſius, & alij. ídque docti pleriq; recentiorum notauerunt: vt Philelph. lib. epiſto. 13. & Polydo. de inuento. rer. lib. 5. cap. vlt. & Clicthoueus in commen. beati Ioan

ti Ioannis Damaſceni orthodoxæ fidei lib.j.cap.10.

1 *Victor.*) † Victor dicitur altæ rei ſuperator, vt Nonius tradidit, qui vicit, ac vincere plurimùm conſueuit, quemad-
2 modum Græcis νικηφόρος, & νικάτωρ. quo epitheto † dictus eſt Seleucus. qui vnus è multis ducibus Alexandri ſemper Victor omnibus ſuperfuit, & tandem non niſi dolo perijt, vt Appianus, Oroſius, & alij prodiderunt. ſícque dicitur νίκαρχος, quod hic eſt commodiſsimum, victoriæ princeps, & νικάτωρ voce etiã inter Chaldaica relata, victor ſeu vindex, & ea quidem non aſcititia Græca, ſed Hebræa, opinor, origine. qua dicitur נקם
3 vindicauit, & נצח vicit. Adhæc victor † dicitur Deus, Abac. vlt. Lycus apud Senecam: Pacem reduci velle victori expedit & victo neceſſe eſt. Hilus de Hercule: ille Victor vincitur. & ipſe Hercules de ſe:

Victor è terris meos ſpecto labores.

Et in octauia eiuſdem de eodẽ: Nullus eripiet Deus mihi te, nec orbe ſi remolito queat ad ſupera victor numina Alcides vehi. Valerius Catullus:

Naſcetur vobis expers terroris Achilles,
Hoſtibus haud tergo, ſed forti pectore notus,
Qui perſæpe vago victor certamine curſus
Flammea præuertet celeris veſtigia ceruæ.

Claudius Claudianus de laudibus Herculis:

Fama celer toto victorem ſparſerat orbe.

Idem ad finem tertiæ panegyris laudum Stiliconis, Lyæum victorem appellat. Ouidius quoque de Hercule,

Magnáque dat nobis tantus ſolatia victor.

4 Porrò † verò obſeruandum eſt non dici victorem, qui pugnauit, etſi fortiter, & quodammodo partímve vicit, niſi tandem peruicerit. itaque Homerus non Aiacem vel Achillem ſed Vlyſſem dicit vrbium expugnatorem, vt notauit Cicero in epiſtola ad Plancum, familiarium lib. 10. indéque Lucanus Pharſal. 2.

-Cæſar in omnia præceps,
Nil actum credens, cùm quid ſupereſſet agendum,
Inſtat atrox,

ait. Deinceps huc faciũt multa præclarè dicta Xenoph. lib. 7. de pædia Cyri: Nihil ad perfectionem ſufficit fieri bonos vi-
5 ros, niſi † quis vſque in finem curet in bonitate perſeuerare.

magnum

magnum eſt quidem vel principium agere, multò etiam maius,qui inceperit,id tueri.nam incipere, ſæpe illius fuit, qui præſtiterit audaciam ſolùm:ſed continere,quod cœperit, nō etiam hoc ſine temperantia, non ſine continentia, non ſine multa diligentia fit.D.Proſper: Palmam qua capitur gloria, finis habet. Felix papa in epiſ. ad Sabinam:non laudatur initium,ſed finis. Timoth. lib.4. ad eccleſiam: Laudari penitus anteactæ ætatis prudentia non merebitur, niſi bono fine clau datur. Leóque decimus Pontifex Max. libro epiſtolarum à Bembo ſcriptarum tertio ad Franciſcum Mariam. ſimiliter Hiero.quadam epiſt.ad Vitalem: Nō cœpiſſe,ſed permāſiſſe, virtutis eſt.Matth.10.Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.cui reſpondet illud Apocalypſis:Qui vicerit, poſſidebit omnia, & ſimilia ibi.ad idem cap.incaſſum. de pœni. diſt.3.& cap.2. & ibi not.de renunt. item l. ſed & ſi leg. §. de eo.de petit.hęred.ff.& quod traditur per Angelum in tracta. de malefi. verbo, fama pub.q.35. & Pan. in cap. conſuluit. de
6 offi. deleg. non † minùs eſſe contumacem, qui venit & non perſtetit,quàm qui omnino nō venit apud iudicem vocatus. idem in cap.prout.de dolo.& cap.cùm nobis.de elect.Inſuper omnia quippe tunc mercedem habent, cùm debitum finem cōſequūtur:ait beatus Chryſoſto. in euang. Ioan. homil. 79. At igitur demum vbi quis debitum finem impoſuit, vel vni plurium,quæ ſuſcepit agere,illius cauſa mercedem ſimpliciter promiſſam,ſi ea egerit, quantum ad illud attinet, conſe-
7 qui debet.quoniam enim id,cuius cauſa † ita promittitur,diuidi poteſt,& id quod promittitur diuidi debet, præſertim cùm non ſtat per eum,cui promiſſum eſt,quin omnia agat,vt cùm Papinianus ait, tam laborem, quàm pecuniam diuiſionem recipere.l.Seio.de annu.leg.facítque l.Lucius.§. Caio.ad Trebell. ff. & inter cæteros Bal. ac Salice. in l. j. de ſuffrag. infrà.vbi Accurſius & referentes eum nonnulli parum cautè tradunt,vbi datur præmium vincenti,debere tribui etiam ſi omnino non vicerit.

1 *Triumphator.*) Quando nec victorem eſſe † omnino ſufficit,niſi,qui victor eſt,bene in vniuerſum victoria vtatur ſub ditum,triumphator,Baldus voluit in inſcriptionem Digeſto rum,memorans dictum Annibalis: O Annibal, vincere ſcis:

ſed

2 ſed victoria vti neſcis. Olim autem iſtud † conſequens fuit ei,qui magnificè vicerat, vt Romam ingrediens magno cum honore & comitatu ciuium, curru inaurato, equis albis ducto,præeunte ſenatu, cuius erat antè triumphorum genera decreuiſſe,ad Iouis templum gratias acturus veheretur.quem etiam redimitum ſic triumphantem captiui poſt currum ſequebantur. Et Cæſar quidem Auguſt. cùm ipſam Cleopatram non poſſet, ipſius imaginem in triumpho tulit, vt refert Plutarchus in vita M. Antonij. Non ſecus, quàm qui
3 grauiſsimo,vt læſæ maieſtatis † crimine quodam conuictos, abſentes autem, pictos quidem fictósve illis afficiunt pœnis, Iudices inquam huius tempeſtatis, quas ipſi rei paſſuri ſunt, ſi inueniantur. in quo tamen refragari videtur l. abſentem. cum ibi not. de pœn. ff. etſi etiam ſuffragatur
4 l. ne diu. de pœn.C. Et† quidem ob falſi vel proditionis crimen poſſe hominis figuram depingi in muro,pro pœna,retulit Puteus tracta. ſynd. cap. contumacia. fol.37. vbi multa citat pro Iudice: qui cùm non poſſet apprehendere fugitiuum, quem erat ſuſpenſurus, ſi teneret, fecit erigi furcas ante eius domum. & dicit Marti. Lauden. tract. de crimi. læſæ maieſt. quòd corrumpens talem imaginem, debet puniri in quingentis libris ſiue aureis.idque notandum contra corrumpentes imagines hæreticorum & ſimilium,quæ eorum acta cauſa,ad futuram memoriam publicè ſolent affigi. Ad hócque tex. l. ſi quis id, quod. & ibi Bar. de iuriſ. om. iudic. ff. & Nicol. Boë. in tractatu de ſeditio. ad fi. & tradita à nobis in l. ſi quis in metal. infrà. de pœ. Quem-
5 admodum etiam † contrà honorandus, qui præſens ipſe omnino honorari non poteſt, in ſua imagine honoratur, & verè honoratur.ſicut & ait beatus Ambroſius,Imperatoris vel alterius imaginem coronans, ipſum coronare & honorare videtur. facítque l.2. de ſtat.& imag. not. à Budæo in l. ij.de orig. iu. in l.notandum. de re. diuiſio. ff. & ſimil.
6 Vnde ſi † quando ex falſis teſtibus vel alijs documentis animaduertatur in aliquem grauiùs, & dein reſciatur innocens, vel in imagine ſua reſtituitur. & nihilominus, ſi crimen fuerit, quod cùm putaretur ille admiſiſſe, alius admiſerit, & id iam adpareat, planè punitur. l. confeſsioni-

bus. l. qui seruum. & ibi Alex. de interrog. actio. ff. inde
7 verò & pons † triumphalis, & porta triumphalis dicta est, per quam & nullam aliam triumphi agebantur, vt Blondus Flauius docet Romæ instauratæ lib. primo. idem latiùs de triumpho 10. lib. de Roma triumphante. & Alex. ab Alex. genialium dierum lib. primo. cap. 22. & Polyd. Vergil. lib. 2. de inuent. rer. cap. 16. & Baptista Fulgosius post Valerium Max. lib. secundo. tit. de iure triumphandi. & retulit Sue-
8 tonius in Sergio Galba, quòd † Liuiæ olim post Augusti nuptias Veientanum suum reuisenti præteruolans Aquila gallinam albam ramulum lauri rostro tenentem, ita vt rapuerat, dimisit in gremium. Cúmque nutriri alitem pangíque ramulum placuisset, tanta pullorum soboles proue
9 nit, vt hodie quoque ea † villa ad gallinas albas vocetur, tale verò lauretum, vt triumphaturi Cæsares inde laureas decerperent. fuítque mos triumphantibus alias confestim eodem loco pangere. & obseruatum est sub cuiusque obitum arborem ab ipso institutam elanguisse. & nouissimo
10 Neronis † vltimi Cæsaris anno, & sylua omnis exaruit radicitus, & quicquid ibi gallinarum erat, interijt. vnde locus ad gallinas albas alicubi inter pontificias constitutiones memoratus: & fortè vulgare prouerbium, quo dicitur: Filius gallinæ albæ, ille, quem pro sua vel suorum dignatione quadam ampla licentiosiùs agentem palpant ho-
11 mines ac verentur. At Probum vltimum † Cæsarum triumphasse, post eúmque obliteratâ virtute militari, cùm vigor ille animi defuisset & imperium deflexisset, nullum Cæsarum triumphasse, nisi quidem, vt nonnulli notant, nostrum Iustinianum per duces suos, retulit Alex. ab Alex. lib. 6. genialium dierum. quod & nihil obest quominus & verè & propriè ipse Iustinianus triumphator dicatur, quemadmodum & victor, per Bellisarium & similes eius ministros, vincens ac triumphans: non aliter, quàm Dominus de re sua per procuratorem suum litigans: iuxta notata per Afflictum in 6. par. sanctionis de iure protomiseos. Et sicut, qui habet ministros seu mercenarios (seruitores vocant) in domo, dicitur propriè illam habitare, non ipsi. l. si quis gratuitas. & ibi notat Florianus, de ijs, qui deiecerunt vel effud. ff.

& ſicut ille dicitur miniſtrare in beneficio, cuius nomine mi
niſtratur,non qui nomine illius ibi miniſtrat, cap. conſtitu-
12 tus.& ibi hoc † notauit pater meus egregius Iureconſultus,
& procurator regius in fide integerrimus, de filijs presbyte-
rorum.Huc facit etiam,quod videtur non admiſſus vel rece-
ptus alicubi is,cuius vxor vel aliâs ſui & domeſtici non ſunt
recepti: vt notauit Corſet. poſt Anch. ad cap.grandi. de ſup-
13 plen.ne.prælat.in.6.& † cùm aliquid geritur ab aliquo, tan-
quàm à miniſtro,perſona domini eſt inſpicienda: vt notat
Bal.ad leg.ſi procurator.j.ff.ſi quis cautio.ſic is poſsidet, cu-
ius nomine poſsidetur,nõ autem vel pro poſſeſſore habetur,
qui alterius contemplatione poſsidet.l.etiam.§.ſi quis abſen.
de petit.hæred. Vnde nec in impetratione beneficij exprimi
debet:vt tradit Gomeſius in regul. cancell. de annali poſſ. q.
12. cap.cùm veniſſent.de reſtit. ſpolia. l. quod meo. de acqui.
14 poſſ.ff.& ſimil.Similitérque † pactum factum cum fideiuſſo
re,cum reo,cuius fideiuſſor eſt,factum eſſe videtur.l. ſed etſi
fid.de pac.ff.& qui per alium tutelam geſsit, ipſe geſsiſſe vi-
detur.l.ita.§.j.de adminiſ.tut.ff.& notat Bal.in l.ſi liberis. de
15 don. ante nup. infrà. quòd paria † ſunt aliquid fieri pro me,
16 vel per me.Porrò † triumphare alio quodammodo principes
huius temporis cenſentur:maximè cùm bello quodam victo
ria finito redeũtes,nouæ corona gloriæ ornati, regia pompa
vrbes proprias intrãtes,excipiuntur à ciuibus,plus ſolito ad-
mirantibus, & exclamantibus aſsiduè: Viuat Rex: vt de Sau
17 lo iuſſu diuino † Rege conſecrato filijs Iſraël, cùm primùm
à Samuele oſtenditur,legitur factum.1.Reg.9.& de Ioä, ſimi-
liter 4.reg.11.& 2.Paral.23.& de Chriſto ſimili quodammo-
do,Matth.21.cui quidem intranti Hieroſolymam adclamatũ
eſt veluti Regi:Hoſanna:ſeu הושיע־נא peculiari voce Iudæis,
18 quemadmodum † Romanis Iò in triumphis: vt adnotat Bar-
tholo.Veſthemerus inter phraſes diuinæ ſcripturæ. etiam ſi
aliâs triumphauit Chriſtus,omnino tandem in Cruce vincẽs
principem mundi,& affigens illi chirographum,quod aduer
ſum nos erat, & reſurgens à mortuis glorioſus, ac deinceps
vincens in ſuis dum iudicantur. Vnde & Dei triumphum
beatus Hieronymus ad Hedibiam. q. 11. & beatus Anſelmus
in ſecundum caput alterius epiſtolæ Apoſtolicæ ad Corint.

G 2 aiunt,

aiunt, martyrum paſsionem, effuſionem ſanguinis, & lætitiam inter tormenta, quæ perpeſsi ſunt pro nomine Christi. ita conuenienter dicit Apoſtolus, ſe adimplere, quæ deſunt paſsioni Chriſti in carne ſua: ex quo etiam patet eſſe hæreticos ac impios planè, qui noſtras operas omnino à ſalute noſtra ſubducunt, vt eleganter & latiùs inter alios docet quodam loco operis de orbis terrę concordia, Magnus Poſtellus.

19 vbi † impius annotatorculus ex fęcę germanica ægrè fert catholicam traditionem: vt ſæpe alibi ceu harpia contactu ſuo, præſtatiſsimi cuiuſque tractatus optima fœdat loca. Cæterùm Lętus in hiſtoria Romana, ac omnino Varro lib. de lin-
20 gua Latina, eorum, qui nunc extant, Secundo aiunt, † triumphare appellatum, quod cum imperatore milites redeuntes clamitabant per vrbem in Capitolium eunti: Iò triumphe: ídque à θριάμβω Gręco, Liberi patris cognomento poſſe dictũ eſſe, illáq; clamitatio à militibus ad cęteros vſu vnà deuenit. vnde Q. Horatius carminum lib. 4. Ode. 2.

Túque dum procedis, Iò triumphe,
Non ſemel dicemus, Iò triumphe,
Ciuitas omnis.

Idémque eius vocis meminit attingens illum triumphum actum à Cęſare Auguſto bello geſto aduerſus M. Antonium ac Cleopatram, ita;

Iò triumphe, tu moraris aureos
Currus, & intactas boues.
Iò triumphe, nec Iugurthino parem
Bello reportaſti ducem.
Neque Africano, cui ſuper Carthaginem
Virtus ſepulchrum condidit.

Et ſimiliter Naſo ad cupidinem ipſius triumphũ deſcribens:

Mens bona ducetur, manibus poſt terga retortis,
Et pudor, & caſtris quicquid amoris obeſt.
Omnia te metuent, ad te ſua brachia tendens.
Vulgus Iò magna voce triumphe canet.

Idq́ue, vt Eraſmus in colloquijs notat, dicere ſolent opipari epulones, quibus ſcilicet [illegible] ſunt, vt ſępe Homerus in Odyſſęa inquit, [illegible]. Pro quo religioſi viri in ſuis temperatis refectionibus piè canunt: Te Deum laudamus, vel ſimile quidpiam. qualia ſunt, quæ ex Hebræis vertit &

accom

accommodauit Paulus Fagius libello, cui titulum fecit: Precationes Hebraicæ. ídque inter alia, iuxta id, quod ait beatus Paulus ad Colossen. Quodcunque dicimus, vel facimus, debere nos facere in nomine Iesu, gratias agentes. Insuper varijs rebus, quæ magni fiunt, dicuntur homines triumphare. Ita
21 olim, ait Plinius lib.33. ijs† tantùm, qui legati ad exteras irent gentes, anulos publicè dari consueuisse, vt exterorum honoratissimi intelligerentur: sícque vulgò triumphari solere. & Gnato Terentianus: id verò seriò triũphare ait, quod à Thrasone datum erat Thaidi. & Geta in Phormione: Non triumpho, ex nuptijs tuis, si nihil nanciscor mali, ni etiam nunc me huius causa quærere in malo iubeas crucem? Nec ab re Lampridius in Alexandro Seuero, inquit: Cùm varias salutationes & magnificas in initio sui Imperij suscepisset, & de more alia acta essent, quasi triumphans domum se recepit. Et Sulpitius Seuerus in dialogo de vita Monachorum Oriẽtalium,
22 Gallum monachum triumphare gaudio dixit. & † nos vulgò triumphos dicimus. similiter quædam, quæ aliqua in re valẽt plurimùm: vt in eo chartarum ludo, qui inde nomen accepit. qui, si quis alius eiusmodi, videtur simplex & honestus. quanquàm pluris fiunt mile nebulonum imposturæ: quas ludiones probè norunt.

Lex unica.


Vmma Reipublicæ tuitio, de stirpe duarum rerum, armorum scilicet atque legum ueniens, uimq; suam exinde muniens felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusq; Gentibus dominari tam præteritis effecit temporibus, quàm, Deo propitio, in æternum efficiet. istorum etenim alterum alterius auxilio semper eguit: & tam militaris res legibus in tuto collocata est, quàm ipsæ leges armorum præsidio seruatæ sunt.) Notat hinc
1 †primùm Paulus Castrens. Reipublicæ tuitionem, fecisse Romanos cunctis gentibus excellere: ídque maximè eorum Imperium destruxisse: quòd paulò pòst quisque suo priuato cõmodo incubuerit, magis, quàm publico, magis auaritiæ & voluptatibus proprijs, scilicet, quàm vtilitati publicæ. ídque omnibus contingat, necesse est, vt certè communis rei amor prouentum, particularis excidium pariat. In quo etiam facit

 cit

cit Martin.Laudens. tractatu de consiliarijs Principum, nume.10. & 20. & idcirco Plato libro 5. atque 11. suæ legumlationis censuit quenque ita possidere sua ac disponere in ciuitate:vt arbitretur, & genus suum & diuitias suas toti ciuitati esse communes, neque sibi solùm, sed multò magis vniuersę
2 ciuitatis esse. aitq; lib.4.qui † aliquarum partium gratia non communiter leges condunt ad gratiam siue commoditatem priuatorum quorundam,non ciues, sed seditiosos esse. & lib. 9.proprium dissipare, publicum connectere atque coniungere ciuitates dicit.pariterque Sidonius lib.4.epist.vlt.scripsit, publicum semper euerti studijs priuatis. Item Bessario Cardinalis in calumniatorem Platonis,lib.4.cap.3. planè putat ci
3 uitatem nullam,vel priscis temporibus,vel † nostra ętate euer sam alia causa, quàm quòd ciues relicta publicarũ rerum cura, proprijs negotijs nimis indulserint. Cęterùm,de ipsis Romanis, Titus Liuius in initio suæ historiæ ita habet: Aut me amor negotij suscepti fallit, aut nulla vsquàm Respublica, nec maior,nec sanctior,nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tàm serò auaritia luxuriáque immigrauerint, nec vbi tantus ac tandiu paupertati ac parsimoniæ honos fuerit:adeò quantò rerum minùs, tantò minùs cupiditatis erat. nuper diuitiæ auaritiam,& abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendíque omnia,inuexere.
4 Vnde lib.34.sic dicentem facit † Catonem: Sæpe me querentem de fœminarum, sæpe de virorum,nec de priuatorum modò, sed etiam magistratuum sumptibus audistis, diuersísque duobus vitijs,auaritia,& luxuria ciuitatem laborare. quę pestes omnia magna imperia euerterunt. Hincque Lucanus belli ciuilis lib.4.cecinit:

Perdita tunc vrbi nocuerunt secula,postquàm
Ambitus & luxus & opum metuenda facultas,
Transuerso mentem dubiam torrente tulerunt.

Nanque,vt expressit Acron interpres Horatij lib. carminum 2.Ode.15. simplex ac sine ambitu vita veteribus Romanis in felicitate maxima vigentibus fuit. nec magna cura priuatas opes curarunt, dum studium omne publico ornatui impenderetur & templis. Ac subinde planè notare licet Romanos cæteris omnibus præstitisse nationibus virtute multa, magnámque

gnámque omnino potestatem & præcellentiam Romanorum fuisse: quod & testatur diuinus Hieronymus relatus à Gratiano. 28.quæstio.j.cap.omnes. & anteà M.Tullius actione 6. in Verrem, dicens, non esse dubitandum in ea ciuitate,
5 quæ propter † virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimùm posse. Idem in altera de lege Agraria oratione, dicit ciuitatem Romanam longè iure libertatis cæteris ciuitatibus antecellere. & pro C. Rabirio, ac dum iret in exilium, Romanorum potestatem proximè ad Deorum immortalium numen accedere. & Philip.4. crudelitatem mortis, & dedecus virtute propulsari solere, quæ propria est Romani generis & seminis. & certè animaduertendum est, quod dici-
6 tur, nedum præstitisse † Romanos cæteris, verùm etiã dominatos esse: ac, quod & noster textus adnuit, imperasse omnibus Iustinianum, & Imperatorem dominum omnium aliorum esse. quod etiamnum plerique arbitrantur, & docent omnes fermè Itali: & Germanus Schench in c.j. de feudo gard. vel duca. vel comita. In quo etiam textus àlij plurimi sunt. l.j. infrà de summa trini. l.ij. §.penul. de vete. iure enucle. l.prima. de vsucap. transfor. autenti. vt omnes obedi. iudic. §.præcipimus. autenti. vt eccle. Roma. cap. Constantinus. 96. distin. cap. futuram. 12. quæst. j. Leonis decimi papæ epistolarum à Bembo scriptarum libro 6. epistola 22. & lib. 10. episto. 5. Celebrat
7 quoque Procopius lib. de ædificijs. quandam † Iustiniani statuam in domo sitam Augusta, quæ sinistra quidem manu fert orbem: vt inde intelligatur vniuersa terra illi esse subiecta,
8 simul & mare, inquit. Atqui † planum est ex historijs nunquàm Romanis vniuersos fuisse subiectos. quod & testatur diuus August. quodam loco de ciuit. Dei. magnitudinem autem Romani imperij descripsit Pomponius Lætus in historia Romana, verùm inquam certis conclusam terminis, ac minimè omnia apprehendẽtem. Id quod etiã fecit ipse Procopius lib. de ædifi. 6. idémq; narrat lib. 4. Traianũ Imperatorẽ iracũdo similẽ videri solitũ, quòd Imperiũ certis limitibus, hoc est Danubio finiretur, & adnotat Baptista Pius ad c. Soliũ, lib. epis. 9. ipsius Solij Sidonij memoria Ctesiphontẽ fuisse, vt olim vigẽte Põpeio magno imperij Rom. terminũ, fatísq; datũ, vt Rom. eã vrbẽ trãsire nõ possent. Nec ab re videbitur, quod Orosius scripsit

9 scripsit lib. 7. cap. 24. Carum † Narbonensem Imperatorem strenuum Parthico bello, postquàm duas nobilissimas Parthorum vrbes, Cochem & Ctesiphontem cepisset, super Tigridem fluuium in castris fulmine ictum, interijsse. Adhæc faciunt leges positæ de captiuis & postliminio reuersis, & de limitaneis militibus, & similes, & clemen. pastor. de re iudic. quanquàm responderi potest, ea quidem ita se habere: porrò debere omnes Imperatori parere, & iure subiectos esse. Vnde
10 altiùs quæstio hæc repetenda est. Et primùm † quidem, sicut traditur à plerisque, illos infideles principes, Ethnicos inquam, & non veræ religionis cultores, diuino quodam iudicio regnasse, quãuis non ex Deo regnarint, opera quippe eius non facientes: vt docet Rupertus de victoria verbi Dei, lib. 7. cap. 12. Ita quoque putandum est diuino iudicio ab eis decessisse regna malè ac superbè acquisita, vt latè monstrat Orosius. sic Nabuchodonosori produ͂t sacræ literæ à Deo datum Imperium tempore quodam, quod à Cyro Darióque posteà est vsurpatum. qui licet religiosiores viderentur, adeò vt Cy-
11 rus † ædificandam domum Dei decreuisset, quam deinde ædificauit Darius, vt ex Esdra docet Rupertus prędicto lib. c. 21. & Petrus Bertrandus Cardinalis Heduensis in tractatu iurisdictionum, intelligens etiam de hoc locutum Esaiam, cap. 45. Cyrúsque in diuinis admonitionibus mortuus referatur à Xenophonte, & à Carione Mathematico dicatur veram fidem, cultúmq; amplexus sanctißimè retinuisse. Tamen contrà ostendit Rupertus prædicto libro cap. 23. & plerisque sequentibus, & hunc posse reputari cum eiusmodi, de quibus Psalmo 48. dicitur: Quia anima eius in vita ipsius benedicetur, confitebitur tibi cùm benefeceris ei. Cęterùm Christi regno adueniente iuxta somnium Nabuchodonosoris, Roma-
12 norũ † quoq; Imperatorum fastigium depressum adparet, Petro à Christo in terris relicto, & cæteris Romanis pontificibus, vice eius Imperatoribus, dictatoribus, Regibus maximis, vt non ab re notarit (etsi in dissimili quæstione) Dauid Sanius in Isagoge de verborum significatione, ca. vlti. post Chri-
13 sti † aduentum Imperij iura ad sedem Petri translata. In quo Cass. ad l. non ambigitur. ff. de leg. post Bartol. in extrauag. ad reprimen. Siquidem diuina dispositione summa cum ratione factum

factum est, vt quemadmodum vnus Deus in cælis quidem visibilis permanet: ita quoque in terris vnus Dei vicem gerens, præpositus omnibus & cunctorum curam agens videretur assiduus. cui competit illud Virgilij:

Iuppiter in cælis, Cæsar regit omnia terris.

Et dictum à Domino, Ezech. 37. Pastor erit vnus omnium eorum. & Ierem. j. Ecce constitui te super gentes, & regna: & dedi te super omnem terram principibus, & sacerdotibus, vt euellas & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Cui, vt habetur Deuterono. 17. data potestas intelligitur, dijudicandi inter sanguinem & sanguinem, lepram & lepram, causam & causam. cui dictum: Pasce oues meas, vt habetur Ioan. vlti. Cui commissi censentur ambo gladij (quibus Christus satis esse dixit apud Lucam) id est, temporalis siue secularis, & spiritualis, omnis certè iurisdictio, quæ originariè & potentia apud eum existat. Id quod iam olim Doctor noster Iacobus Butrigarius tradidit, & Ioannes Lignanus, dum in cathedra legeret aliquando Saliceto præsente, & in tractatu de bello, cap. 12. & Paulus Lignanus pronepos eius, in additionibus eius tracta. cap. 10. ex eo, quod Aristoteles tradidit, quòd sicut in machina cælesti fuit necessarium vnum principem esse, qui regeret omnia, & ad cuius nutum disponerentur cuncta, sic & in hac machina terrestri est necessarium vnum principem esse. sed non est conueniens, quòd Im-
14 perator sit ille, † quia diuinis non potest præesse. ergo summus pontifex necessariò erit ille: & maximè, quia locum tenet ille cælestis principis, à quo cuncta reguntur: vt etiam retulit ipse Salicetus in inscriptionem Codicis, etsi contrarium tradens. Cui & suffragari videtur autor innominatus Somnij Viridarij, ac nouissimè Longouallius ad legem, imperium. parte vlti. de iurisdi. omn. iudic. ff. scribens, præscribi posse iurisdictionem aduersus Papam, etsi non aduersus Im-
15 peratorem. cap. ad audientiam. de præscrip. quod † non ita planè est verum, sed aduersus Papam ac Imperatorem præscribi iurisdictionem posse, at non supremam aduersus Papam, & si quidem aduersus Imperatorem, vt par est, & tradidit Felin. post alios in dicto cap. ad audientiam. & cap. sequen. de præscriptio. Ac quod ait Longouallius, si originem spectemus

H ac

ac primariam causam, nullum temporale esse apud Romanum pontificem, quódque habet, totum ab Imperatoribus habuisse censeri. capitu. ego. distinctio. 63. Factum meritum spectat, & docet, non ius inducit, iam non ab hominibus, sed à
16 Deo acquisitum: vt diximus ac dicemus adhuc. Vnde † nec rebus ad Papam spectantibus ius dicere potest Imperator: & si vel simplici nimiùm, vel insolenti inscitia aliquando dixerit. Intereà permittentibus summis pontificibus, vel dissimulantibus, cùm vel è re Ecclesiæ esset, seu iustum aliâs, quod statueret, vel illi resistere non possent, vel nollent, perspicientes futurum quodammodo inde maius animarum periculum, quibus præcipuè aduigilare eos, tanquàm tutores personis magis, quàm rebus, vt cæteros principes tanquàm curatores magis rebus, quàm personis datos, videtur etiam iuris canonici ac ciuilis illa diuersitate, qua finis illius maximè conscientia siue salus animarum, istius concordia hominum dicitur. Porrò isti consentire videtur, quanquàm non audet planè cum suo Bellaperticensi Cynus in autenti. cassa. de sacrosanct. eccles. infrà. necnon & si non adeò cum Cyno suo, scilicet Bartolus, in l. prima. §. primo. de requiren. re. ff. fassus
17 etiam tamen simpliciter Dantis † Poetæ ob hoc memoriam quasi ob hæresim damnatam, quòd tradidisset imperium non dependere ab Ecclesia, quod tamen dependere inde Canonistæ doceant pulcherrimis rationibus. quod & tradidit beatus Antoninus in historia, part. tertia, titu. 21. cap. quinto. §. secundo. gloss. in cap. nouit. voce, iurisdictionem. vbi & cæteri, præsertim Panormita. id latè defendens, & Ioan. ab Imola, communem esse opinionem contestans, nume. 20. ac Philipp. Decius colum. quarta. de iudic. Idémque Panormi. in capitu. secundo. colum. prima. de probatio. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ. lib. primo. artic. 13. Aufre. in repeti. clement. j. de offic. ordin. char. 4. Corset. de potestate & excellen. reg. q. 39. & q. 43. Ioan. à turre Crema. in cap. tibi domino. dist. 63. Marsil. in l. fin. ff. de iurisd. om. iud. Anchar. in c. j. de constit. al
18 legans etiam tex. j. reg. 8. hoc & significauit Hildebrādus † Gregorius, Septimus papa dictus, Radulpho duci Sueuię Imperatori designato coronam mittens, cui erat inscriptus versicu.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Radulpho.

vt Ber

vt Bernardus Guido,& cæteri chronographi habent. Augu-
stinus quoque Anchonitanus in tractatu de potestate eccle-
siastica,q.j.plurima disputatione docet,potestatem immedia
tam,hoc est primariam iurisdictionis omnium spiritualium
& temporalium esse tantùm in papa, deriuatam autem in
omnes prælatos,hoc est præfectos Ecclesiasticos,spiritualem
in ministerium datam,temporalem verò in omnes principes
19 & magistratus. Ait etiam non ab re B.Bernardus † lib.4.de cō
sider. vterque gladius ecclesiæ est, & spiritualis & materia-
lis,sed is quidem pro ecclesia,ille verò & ab ecclesia exercen
dus:ille sacerdotis,is militis manu,sed sanè ad nutum sacerdo
tis & iussum Imperatoris.& in hoc Ioan.à turr.in cap.omnes.
dist. 22.& in cap. communis.dist. 23. vbi etiam notat quòd
20 † papa est ordinarius omnium.id quod notatur in cap. vt de-
bitus.de appell.& in cap.finali.per Pan.in cap.licet. col.14.de
for.compet.& c.quia.de concess.præb.& Ias.in l.qui Romæ.
§.Seia. col. 3. de verb. oblig. ff. & quòd non est aliquis exem-
ptus à papa, Panor. in cap. graue.de offi. ordi. & in cap.quo-
niam.not. j. de const. Deinceps Blondus Romæ instauratæ
lib.3. Dictatorem nunc perpetuum,non Cæsaris,sed piscato-
ris Petri successorem,& Imperatoris summi vicarium, ponti
ficem summum principes orbis adorant & colunt, inquit.
21 Vbi papam appellat Dei † vicarium, cùm ait : Imperatoris
summi:Deum intelligens,qui & dicitur imperator, vt etiam
est tex.& notat Præp.in cap.ante omnia.40.dist.Baptist.Man
22 tuanus in Dionysio Areopa. lib. j. Roma † caput rerum est.
Romam Deus esse suorum pontificum sedem statuit; quibus
omnia cedant regna:quibus reges ipsi quoque sceptra Latini
submittant:quorum accliues vestigia adorent. Erasmus qua-
dam epistola ad Leonem Decimum:Quantò cęteri mortales
pecudibus antecellunt, tantò Romanus pontifex mortales
vniuersos superat, & inter homines prorsus cæleste quod-
dam numen agit.idque scilicet inter omnes quoscunque ho-
mines etiam exteros,& barbaros,eorum etiam dominus exi-
stens,cōtestante scriptura Exod.7, ita: Ecce constitui te deū
Pharaonis.in quo faciunt & not.ad ca. sæpe malorum. 28.q.j.
atque ijs & similibus quidam persuasi expresśim dixerunt,pa
23 pam † indistinctè quo ad vtrunque forum posse tollere le-

 ges.

ges. & certè alijs contradicentibus, Papam non posse tollere leges, nisi quo ad suum forum, tenens medium: vt dicit glos. ad capit. possessor. de regul. iur. in 6. credidit quidem Papam non posse tollere leges, quo ad forum ciuile, vbi non habet iurisdictionem temporalem, & nullum vertitur animæ periculum.

24 Id quod dixeris in regno Franciæ, quod † multis de causis hoc priuilegio speciali donatum est, vt Papam etiam nõ recognoscat in temporalibus superiorem. cap. per venerabilem. qui filij sint legit. & nos alibi latiùs. quanquàm præd. gloss. & inde docentes in cap. j. de constit. & alibi sæpe, id de omnibus intelligant. In quibus iurisdictionem suam non exercet papa. quasi ob id inibi non habeat iurisdictionem, quod mihi non videtur. & satis confutatur prædictis. Nec obest text. quem in hoc expendunt, cap. cùm duobus. de appellat. cùm ibi tractetur de exercitio temporalis iurisdictionis, quod quidem exercitium Papa non habet ordinariè, vt mox dicemus, at potestatem habet, vt diximus, satis supérque perpetuò, & potest vti, quando rationabiliter sibi videbitur, & demonstrabit expressim se velle à iure ordinario non exercendæ huiusmodi potestatis recedere. Ideò quotiescunque papa de quacunq; re, etiam temporali, de fratrum suorum cõsilio duxit aliquid statuendum contra ius ciuile principum & regum, tenentur obedire principes recognoscentes, vt par est Christum Dei, visibilem semper super omnes datum, & eo ipso, quòd malunt obseruare suas leges, peccant in ecclesiam, & quem magistrum ecclesia habet, Deum ipsum. In quo multi incautiùs agunt & hallucinantur, dum argutari malunt, & seculari potestati suffragari, quàm nudam inspicere, & incorruptam amplecti veritatem.

25 Est igitur Papa tanquam † genus generalissimum supra cæteros & spiritales & temporales, vt loquimur, potestates. vnde cùm istis vnum genu flectatur, videtur illi flecti vtrunque debere, quemadmodum Deo & diuis Deo iunctis. Propterea inquit Panormita. in clemen. prima. de Iudæ. & Sarrace. quòd genibus flexis debemus dicere vesperi: Aue Maria. Sunt autem Pontifices alij atque Principes, tanquàm species subalternæ. De quibus dictum allegoricè intelligitur, id quod Geneseos capi. primo, legitur: Fecit Deus duo magna luminaria, luminare maius & luminare minus: vt habetur etiam in cap. solitæ.

solitæ.de maiorita.& obedien.Ad idem quod habet Ecclesia
sticus cap.4. Presbytero humilia animam tuam, & magnato humilia caput tuum. Item, beatus Cyprianus in sermone de vnctione chrismatis: Sicut oleum fluitat & humidis quibuslibet superfertur: ita excellentia sacerdotis & Regiæ dignitatis secundum formam Dei & Christi sub se omnia continens regimen, & munimen tam actiuæ, quàm contemplatiuæ vitæ obtinet. Symmachus papa in apologetico aduersus Anastasium Imperatorem: Pontificiæ ac regiæ potestatis
26 † officijs duobus præcipuè, genus humanum regitur, vt non debeat aliquis eorum existere, quo valeat offendi diuinitas, maximè cùm vterque honor videatur esse perpetuus, atque
27 ita humano generi ex alterutro consulatur. & sic † quoque tantò præstat seculari dignitas sacerdotalis, quantò contemplatiua actiuæ vitæ, & quantū diei claritas, noctis obscuritati, humanis diuina, cælestia terrenis, spiritus carni, caput brachio: vt habetur in l.cap.solitæ.& cap.suscipitis.10.dist.c.vnico.§.vnde.de sac.vnct. sacerdotium tanto spatio antecellit imperium, quanto inter se animæ natura & corporis differt, inquit beatus Chrysosto. dialogorum de dignitate sacerdotali, lib.2.cap.j.& beatus Ambrosius in cap.duo sunt.96.dist. non tam aurum pretiosius est plumbo, quàm regia potestate altior vndique ordo sacerdotalis. Idem etiam multis tradidit Raymundus Sabundus in theologia naturali, tit.313.& sequēti. ideòque hanc tantùm exercere potestatem Romanum pōtificem regulariter decet. sed & quia sic fecit Christus ipse, ita facit. vnde dicebat ille: Quis me constituit iudicem & diuisorē inter vos? Item, quia hoc præcepit non obscurè admodum, cùm Petro dixit, Quanquàm suum gladium, & quanquàm ne abijceret, tamen vt in vaginam conuerteret. dixit enim, cùm Malcho Petrus abscidisset auriculam: Mitte gladium tuum in vaginam. eáque voluntas colligitur esse Dei,
28 tanquàm ex typo, ex eo, quod dictum legitur † Moysi, Exod. 4.& deinde 18. Esto tu in ijs, quæ ad Deum pertinent populo, vt referas quæ dicūtur ad eum, ostendásque, populo cæremonias & ritum colendi, viámque per quam ingredi debeāt, & opus, quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, &

qui oderint auaritiam: & constitue ex eis tribunos,& centuriones,& quinquagenarios, & decanos, qui iudicēt populum omni tempore, quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantùm iudicent: leuiúsq; sit tibi,partito alijs onere. Ex eóque alia adhuc ratio huius rei elicitur: quoniam scilicet res admodum esset difficilis & inepta, vtranq; omnino exercere potestatem.cap.te quidem.11.quæstio.j. Quamobrem id etiam dictum Moysi legitur: Non bonam rem facis, stulto labore consumeris, tu & populus,qui tecum est, vltra vires tuas est negotium: solus illud non poteris sustinere. & bene facit cap.mandata.de præsump.& pulchrè Alexan.in di

29 sputatione incipien.Sigismundus.colum.4. Similiter nec†potestates seculi spiritalia curant,neque administrant.cap.imperium.& cap.quoniam.10.distinct.cap.vbinam.cap.cùm ad verum.& cap.satis.& cæteris. 96.distinct. cap.super ordinationem.& cap.omnis electio.distinct.63.cap.sanè.ca.si quis principum.cap.nemo reg.&c. 16. quæstio.7.etiam si cōsuetudo id vellet, cap.Messana. de elect. Bertachi.in tracta. de episcopo,

30 lib.j.ad fin.& si quidem conuersus laicus†potest præscribere spiritualia, quanquàm merè laicus non possit, vt not.in capi. ex eo.de elect.in 6.& Ioānem Selua in tracta.de benefic.parte 2.quæstio.19.ac potest eiusmodi merus laicus vtens,si expresso vel tacito assensu Romani pontificis confirmatio accederet: iuxta text.cap.ij.& ibi Archidiac.& Præpos.96.distinct. Aut recèns omnino tale quid specialiter à summo Pontifice tali concederetur: vt habetur in cap.Adrianus. qui est secundus huius initij,& similibus quibusdam.63.distinct.Archidia. in cap.non licet.gloss.vlti. in cap.in synodo. ead.distinct.& in cap.concilia.18.distinct. Corset.tracta.de potesta.reg.quæsti. 11. Selua dicto tracta.de benefic.par.2. quæstio.5. vbi quòd &

31 mulier † ex priuilegio Papæ possit conferre beneficia. & Panor.in cap.de hoc. de simon, de Rege Franciæ mentionem fa-

32 ciens,qui†& alij quidam principes orbis,habent priuilegium conferendi certa beneficia. & in cap.extirpandæ. de præben. quòd idem rex Franciæ est canonicus in quibusdam ecclesijs sui regni. Id quod instar tutoris honorarij esse dicit Ioan.Lignanus in tracta.de plurali.benefi.de hisque Ferrald.in insig. reg. Franc.iur. 7.8.9.11. Ita verò etiam non licet pontificibus

sacerd

ſacerdotibus clericis ſe ſecularibus immiſcere: prædicto cap. cùm ad verum. 96. diſ. cap. ſententiam. ne cler. vel mo. cap. j. c. ijs, à quibus. c. reprehenſibile. 23. q. 8. niſi quippe nonnunquã, aliqua neceſſaria & rationabili cauſa faciente, quæ ſemper ſcilicet creditur in papa, tanquam ſummo & optimo eccleſiæ militantis principe, iuxta gloſſ. vlt. l. relegati. de pœ. ff. cap. non nos. & ibi not. 40. diſt. cum ſi. adhæc cap. igitur & ſeq. 23. q. 8. gloſſ. in cap. ſi quis. 36. diſt. Ioannes lupus in tracta. de libertate eccleſiæ. col. 8. & de cõfœderatione principum, ca. 31. & ſeq. noſter Degraſſatius in ſecundo lib. regaliorum, Iure 15. & planè tradidit egregij ſpiritus doctor P. Iacobus in praxis ſuæ libro, arbore regni, quòd debet omnino papa cùm neceſſe eſt, vti gladio ſeculari: aliâs peccat, & reddet rationem Deo, qui ſibi vtrũq; gladiũ dimiſit, vt in neceſsitate etiã illo vteretur. In quo etiam facit cap. in ſynodo. in fi. 63. diſt. Enim-
33 uerò & regalis & pontificalis † facultas cauſa eccleſiæ Dei conſtitutæ ſunt, debéntque ſibi mutuum auxilium. cap. conuenior. & ibi gloſſ. 23. q. 4. cap. quoniam. 10. diſt. ad idem cap. prodeſt ſeueritas. & cap. res autem. 23. q. 5. cap. ab Imperatore. 23. q. 3. Hoſtien. & Pan. in cap. j. de off. ord. Barbat. in ca. nouit. nu. 9. de iudic. Baptiſt. Seueri. in l. j. col. 10. infrà de ſum. tri. At vt corpus maximè propter animam eſt, ita quoque ſecularis poteſtas propter pontificalem: vt vult Raymundus Sabundus theologiæ naturalis tit. 314. videlicet, vt quod effici ſacerdotis doctrina & correctione non poteſt, terrore poteſtatis atque manu, cùm opus eſt extorqueatur, ipſius etiam ſacerdotis ſi neceſſe fuerit, coactione, auten. quomodo opor. epiſ. §. vlt. & auten. de ſanctiſſ. epiſ. §. pe. l. fi. §. ſed iſtam. de religioſ. infrà. cap. principes ſeculi. 23. q. 5. ca. inceſtuoſi. cap. de Liguribus. ea. diſt. cap. non inuenitur. 23. q. 4. cap. petimus. & ſeq. 11. q. 1. cap. eos, qui. 32. diſt. cap. ſtatuimus. & ibi not. de maledi. & faciunt optimi tex. de principum officio & fine ſecularium poteſtatum ſpeciatim verba facientes, in cap. rex. & cap. regũ. 23. q. 5. ad idem cap. non fruſtrà. ea. diſt. cap. factæ. 4. diſ. l. j. in princ. de veter. iur. enucl. infrà. & de hoc Corſetus tracta. de
34 poteſ. reg. q. 32. Ac inquam maximè ad hoc principatus † ſeculares conſtituti intelliguntur, vt ſanctam matrem eccleſiã ab omnimodis infidelium procellis pacatam reddant, c. quando

do vult.& ibi gloss.23.q.4.cap. principes seculi.23.q.5. qua in re plurimùm eget principibus secularibus gladium exercentibus ecclesia, tanquàm ouis inter lupos posita. Vnde notat in tractatu schismatum, Gersonensis theologus, quòd in schismatibus & alijs malis nunquàm se erexit ecclesia viribus proprijs, sed principum adiutorio restituta est decori suo, vt
35 † per Pisanos, & Saxones, & Othones, & Carolum magnũ, & plerosque alios Reges Franciæ, qui octo summos pontifices expulsos à sede, restituerunt. & sunt qui scripserint, vt autor gallici dialogi, cui titulus est, Scutum fidei: quatuor & viginti schismata à regibus Franciȩ sedata. quod nequaquam verum dixeris, si magna intelligas summorum pontificum: quæ hactenus numero sunt tantùm vigintiduo, vt Gersonensis ille habet & Belgicus autor gallicus simili tractatu schismatum, addens futuri vigesimitertij schismatis mirorum malorum vaticinia multa. qualia sunt item in opere vario, quod inscribitur: Liber mirabilis: & apud Hesiodum in lib. operũ.
36 Rursum † & maximè, Imperator ipse ad idem constitutus ad id Imperator est, ádque omnes generaliter Christianos, & res Christianas tuendas & conseruandas. vt interim illi sententiæ accedam, quam memorat Accursius in l. bene à Zenone. infrà de quadrien. præscrip. vt eo quidem modo dominus mundi quodammodo dici posit, quoniam ipse præcipuè mũdum ipsum, quantum potest, etiam armis ad fidem veram ducere debeat, & in ea continere, & protegere ecclesiam, & qui eius sunt fideles, quasi proximior & dedicatior ad id pastor post summum pontificem in dignitate seculari, oues Christi Domini tueri, & oppugnare aduersos, lupos, vulpes, & similes feras, id est Paganos, Agarenos, schismaticos, hæreticos: & ideò interesse maximè illius, vt tales non sint, & mundus non dissipetur: vti scripsit Bald. consil. 328. Hanc sententiam in animo habens Leo decimus honestè & artificiosè blandiens induperatori Maximiliano scripsisse videtur, Imperatorem dominum mundi, videlicet vt à multis acceptum, & dictum est, quo ad protectionem, vt nos declarauimus, secundum id, quod de fato verba faciens diuus Augustinus in lib. de ciuitate ait, loquamur vt vulgus, sentiamus vt docti. sic & cæteros qui similia dixere, vel scripsere, par est credere locutos ȩa

inquam,

inquam, intentione, vel imprudenter, vel indoctè, vt adhuc
37 infrà ostendemus. Quòd autem † ad illa maximè Imperator
iure quidem munus suum acceperit, & primùm equidem inuentus potentior & proximior satis adparet. idque constat & testatus est Polydorus Virgilius, capite quodam de inuentoribus rerum, in primitiua Ecclesia ea prudentia vsos qui tum erant summates Ecclesiæ, vt quicquid in Gentilibus inueniebant, quod extirpare quidem nequaquàm protinus possibile erat, id quàm maximè fieri poterat in Ecclesiæ vsum converterent, & commodum inducerent, & coaptarent. Id quoque scribit diuus Augustinus epistol.162. ad Imperatoris
38 † curam, de qua rationem Deo redditurus est, causam fidei maximè pertinere, qui certè tota sua potestate hæresibus pullulantibus debet ire obuiam: vt denotatum est in epistola Innocentij ad patres Concilij Carthaginiensis. & dictum à Martiano Imperatore quadam sanctione de hæreticis, Principalis prudentiæ esse omne malum inter initia opprimere, & serpentem morbum legum medicina resecare. at & Paris Puteus
39 in tractatu syndi. titu. de excess. Imperato. Imperatorem † excedere ait, quando non curat recuperare terram sanctam: quia ad hoc imperium Romanum est constitutum. cap. ecclesiæ. 97. distinct. Ad hócque text. in cap. venerabilē. de electio. ibi: sedes Apostolica aduocato atque defensore carebit? vbi & Panormita. id de Imperatore dictum notat. ad idem tex. in clementi. Romani. §. dudum. ibi: cùm ipsi Reges specialissimi filij sint. de iureiuran. vbi text. loquitur etiam de rege Siciliæ,
40 † quòd regnum Siciliæ proprium patrimonium ecclesiæ sit, vt ibi glossa notat. & item in eodem cap. ibi: vt princeps catholicus & sæpe dictæ ecclesiæ aduocatus, atque defensor. quod de Henrico II. Imperatore manifestò dicitur. & consonat latius Constantiense concilium, sessione 17. in benedictione Sigismundi Imperatoris electi, & sessione 11. in sententia contra Ioannem 23. papam lata, & alibi. & facit cap. conuenior. 23. q. 8. & cap. Maximilianus. 23. q. 3. & apertè admodum etiam Leo Decimus lib. 3. epist. ad Maximilianum Imperatorem designatum, dum ait: Piámque matrem omnium Deum amantium ecclesiam, cuius protegendæ causa post vicarios maximum ipse in terris magistratum geris, ab omnibus eius pacem

pertùrbantibus vindices atq; defendas. Vnde adprobationem electionis suæ à papa accipit, cæterùm vnctionem, consecrationem, & demùm imperiale diadema, vt in dictis cap. Romani. & c. venerabilẽ. exprimitur. quę prius à Gregorio Quinto ante quingentos annos ita sunt constituta, vt adparet ex chronicis, ac memoriæ mandauit Platina in vitis põtificũ. & Poly-
41 do. de inuento. re. lib. 4. c. 10. sed & præstat fidei † iusiurandum pontifici Romano Imperator, vetustiori more: quippe cuius initium fuit Otho primus, vt Carion notauit: eiúsq; forma relata extat in c. tibi. 63. dist. de qua re etiam habetur in d. clem. Romani. in princ. de iureiu. vnde dictum à Bald in consi. 327. quòd Imperator est quidem procurator maximus, tamen non est proprietatis imperij dominus, sed & potiùs officialis, cu-
42 ius est electa industria. † Ideóq; plus iuris habet rex in regno, quàm Imperator in imperio: vt scripsit Aluar. post And. Iser. in j. constit. feu. col. 2. Tum multas rationes, quibus Imperator tenetur attendere ad defensionẽ Ecclesię, colligunt Præpo. &
43 Ioan. à tur. in d. c. ecclesiæ. dist. 97. Præterea, quoq; inde † videre facile est, imperatorẽ maximè, si vel petenti ecclesiæ auxilium denegaret, spoliari Imperio posse. quamobrẽ primùm à Constantinopolitanis in Germanos, & plurimos quidẽ Francorum Reges translatum imperium legimus. de quo etiam in d. cle. Romani. de iureiur. & c. venerabilẽ. de elec. & gloss. in c. alius. 15. q. 6. Namq; cæteri principes post trinam denuntiationem possunt excommunicari, vt vult gloss. in cap. quando vult. 24. q. 4. & ad c. ab Imperatoribus. 23. q. 3. Quinetiam maiori excommunicatione excommunicantur, vt habetur in cap. administratores. 23. q. 5. supra id videlicet quòd videntur excommunicati minore excommunicatione, quæ mortali peccato contrahitur. de qua in cap. si non sunt. vbi gloss. de pœn. dist. 2. & cap. audi deniq;. & c. ad mensam. 11. q. 3. c. penul. de sent. excom. & super id quod sunt infames, simplicibus episcopis non obedientes. c. si autem. 11. q. 3. atque hisce omnibus
44 etiam nõ monitos dignos quis dixerit: cùm † paria sint alicui suum expressè denegare auxilium, vel illo de vita vel bonis periclitante præsentem vel in proposito sciẽtem tacere. l. 5. §. nõ defendi. vers. si autẽ. quib. ex caus. in poss. eat. ff. idq; præsertim in Imperatore, & dein quoq; similibus ecclesiæ cõiunctis.
præcip

præcipuis: qui præſumptione quidem iuris inexpugnabili haud dubiè ſcientes eſſent dicendi: arg. l. Octaui. ff. vnde cog. vbi Papinianus ait, veriſimile non eſſe fratris filium patrui
45 valetudinem ignorare. idque à † maiori: cùm maior pietas debeatur eccleſiæ, & potior cum ea conuinctio nobis ſit, quàm cum quibuſlibet ſanguine propinquis: quæ præſtabiliſsima nobis hoc in mundo patria eſt, vt & nos docuimus lib. inſtitutionis rerum humanarũ 4. Item ad hoc l. j. §. vlt. infrà de falſ. mo. faciúntque not. in cap. innotuit. de elect. Porrò verò nec eſſent tum principes ſeculares, qui in eo deliquiſſent, excuſandi, etiã ſi res demùm bene ceſsiſſe probaretur: arg. l. verũ. de fur. ff. ca. cùm volũtate. de ſen. excomm. & l. 3. §. in bello. ff. de re milit. Io. Lig. in tracta de bello, c. 29. Iac. de S. Georg. tra
46 cta. de feud. cap. & promiſerunt. vbi † docetur vaſallũ, id eſt beneficiarium, in bello deſerentem dominum, patronum videlicet, perdere feudum ſeu beneficium, etiam ſi nihil mali dominus patiatur, etſi aliâs regulariter ſi res bene geritur, valet actus, ceſſantibus illis, quæ ſimpliciter in eo requiruntur: quæ planè ſi deſint & res malè geritur, nullius ſunt momenti: vt tradit Feli. in cap. cauſam. col. pe. de iudic. Sed & quidem grauiori ſcilicet vltioni ſubijciendi eſſent tales, ſi detrimentum paſſa eſſet ob eorum incuriam eccleſia: cap. j. de cuſto. euchariſ. Facítque Manſue. in practic. tit. de pœn. verſi. Item ſi
47 ſeruiens capiat fu. Adhæc eſt textus, qui † planè ſentire videtur & probare non omnibus dominari Imperatorem debere, ſed ijs quidem tantùm, qui & temporalis ſunt iuriſdictionis, & eum dominum recognoſcunt. dicitur enim ad literam in cap. ſolitæ. de maior. & obed. Imperatorem eos duntaxat præcellere, qui ab eo accipiunt temporalia. rurſus intelligendum non eſſe regem vel Imperatorem ſuper bonos & malos gla-
48 dij poteſtatem accepiſſe, ſed in eos tantùm, qui vtentes † gladio, eius ſunt iuriſdictioni commiſsi. & quòd Imperator illos tantùm ſubiectos habeat, qui dependent in iuriſdictione ab ipſo, non autem alios multos principes Chriſtianos, vt Franciæ, & alios: eóſque minimè peccare non parentes, & agnoſcentes ſuperiorem & dominum Imperatorem: tradidit etiã Ioan. à turre, ac Præpoſ. in cap. in apibus. 7. q. 1. & ipſe canon, in apibus. qui pro contraria parte adducitur, tantum abeſt vt

aduersus sit;vt suffragari etiam videatur. Imperator inquit, vnus, quemadmodum iudex vnius prouinciæ & cæt. ergo quemadmodum iudex vnius prouinciæ, & episcopus vnius diœcesis,alterius prouinciæ vel diœcesis non habent iurisdictionem:ita nec Imperator extra suum territorium, in alienis videlicet regnis & terris poterit imperare.Cæterùm, ita loquitur illic beatus Hieronymus, vt etiā innuat duos eodē
49 tempore non esse posse Imperatores. est † enim indiuisibile imperium:vt Baldus in prooemi. Digestorum scripsit. quomodo & aliud regnum quodcunque: vt idem Baldus tradit ad l.penul.col.2.vbi de indiuiduo differit,de cōditio. infer. & in aut.hoc amplius. opp. 3. de fideic. & Aluarotus in cap. j. §. prætereà ducatus.col.2.de prohib.feud.aliena.per Federi. & Marti. Lauden. tracta. de princip. nu.20. idem Card.Alex.in cap.Syluester.11.q.1.Corsetus in repet.cap.grandi.num.56. de suppl. negl.præla.in 6.& tractatu de potesta.& excell. reg.q. 74. inde etiam dicens, consuetudinem cismontanam videri iuri consonam,& laudabilem,quantum ad successionem regni, & similium: scilicet, vt vnus tantùm succedat. Quod de dignitate intelligunt & maiestate imperiali siue regali.
50 † administrationem autem diuidi posse censuerunt ad exemplum tutelæ,& seruitutis aquæ ductus. l. inter tutores.de admi. tut. ff. l. Lucio.in fi. cum l. seq.de aqua quotid.& æst.
51 Bartol. consil. 181. Quinetiam † de vno ad alium transferri posse ad exemplum tutelæ, l.3.§.fi. de admi.tut.ff. & fieri, vt sit apud vnum dignitas, & penes alterum administratio, gloss.in cap.nunc autem.21.dis.& secundum hæc inutili principi coadiutorem dari posse: vt episcopo, gloss. in cap. alius. 15. q. 6. cap. grandi. de supplen. negli. præla. in 6. & duo-
52 bus † electis in discordia,vtrunque administrare, donec papa alterius electionem approbauerit, gloss. in cle. Romani. §. porrò. de iureiu.& tum concessum ab altero priuilegium, manet in suspenso, valet autem statim concessum ab vtroque: secundum Oldrad.in consil.23.deinceps tradidit Card. Alex. in l. cap. nunc autem. 21. dis.autoritate quidem papæ, & dispensatione, duos esse posse Imperatores, non autem id vel ab electoribus, vel electo Imperatore, fieri posse: tum qui plures fuerunt Imperatores, iure satis non fuisse, &

eos

eos pro vno accipi debere. Quod & aiunt Ioan. Forocorneliensis ad legem fina. colum. 6. de hæred. institu. ff. facto quidem & fuisse, & esse posse Imperatores vnà plures, non iure. & Cynus in l. quarta. ad princi. infrà de legib. plures olim Imperatores tanquàm vnum fuisse. l. magistratus. ad municipal. ff. Fuisse autem sæpenumerò plures in Imperio principes, vndique historiæ produnt, sed & legum inscriptiones propè infinitæ, quæ hoc Codice continentur. Item permultæ leges in Digestis appositæ, siue Iurisconsultorum scripta, & capitula in iure canonico nonnulla: de quibus & legibus & capitulis plerisque, etiam meminerunt Cynus, Ioannes Forocorn. & Cardina. Alexand. in prænota. locis. quorum omnium pri-
53 mi fuisse † dicuntur M. Antoninus cognominatus Philosophus, & Verus. quod quidem Aelius Spartianus in Lęlij Veri vita, sic scripsit: Verus cum Marco æquale gesserunt Impe-
54 rium: & ipsi primi duo Augusti appellati sunt. & Iulius † Capitolinus in M. Antonino: M. Antoninus, inquit, sibi fratrem Lucium Aurelium, Verum Commodum participem in Imperio designauit. túncq; primùm Romanum Imperium duos Augustos habere cœpit. Et Eutropius lib. 8. quanquàm peruersis & diuersis appellationibus vsus, post Antoninũ Pium,
55 inquit, imperauit M. † Antoninus Verus, & Lucius Annius Antoninus. túmque primùm Romana Respub. duobus æquo iure imperium administrantibus paruit, cùm vsque ad eos singulos semper habuisset Augustos. sícque Orosius lib. 7. ca. 15. M. Antoninus Verus regnum cum Aurelio Commodo fratre suscepit. hi primi Rempubl. æquo iure tutati sunt. & paulò pòst: Annius Antoninus Verus ad bellum profectus est. Vnde suspicor vnum horum M. Annium Antoninũ Philosophum, alium, Lucium Aurelium Commodum Verum, dictos: aut sanè quemadmodum adnotauit Gregorius Haloander in cata-
56 logo consulum, vnum quidem M. † Aelium Antoninum Philosophum, alium verò L. Aelium Commodum Verum. etiam si ille primùm Verus dicebatur, & hunc quẽ in imperij cõmunionẽ acceperat, Verũ appellauit: vt eius tẽporis medicorum præstãtissimus Claudius Galenus scripsit, libro de typis. & hi sunt, qui multis locis appellantur à Iuriscõsultis diui fratres. quod pleriq; in ineptientem plerũq; Accursium historiarum

inſcitia,adnotarunt.traditum etiam ab innominato Chroni-
57 corum autore, poſt mortem † Conſtantini Magni filios eius
Conſtantium & Conſtantem,& Conſtantinum,ac vnum fra
tris filium nempe Iulianum, Imperium adeptos, eóque tem-
pore rem Romanam ſub vno Auguſto, & tribus Cæſaribus,
quod nunquam aliâs, fuiſſe. atque ab Ammiano lib. 27. ſcri-
ptum eſt in adiungendis ſibi in Imperio Valente & Gratia-
no,Valentinianum morem inſtitutum antiquitus ſupergreſ-
ſum, non Cæſares, ſed Auguſtos Germanum nuncupaſſe &
filium:beneuolè ſatis: nec enim quenquam antehac adſciuiſſe
ſibi pari poteſtate collegam,præter principem Marcum, qui
Verum adoptiuum fratrem abſque diminutione aliqua ma-
ieſtatis Imperatoriæ ſocium fecit. neque id ſolùm fuit apud
Romanos, vt plures ſimul ſæpe imperarint. quandoquidem
58 & reges † eodem in regno duos apud Iberos deligi ſolitos, al-
terum,qui iura daret: alterum,qui populo præeſſet: & Car-
59 thaginenſibus † aliquando duos reges,qui Suffetes dicti ſunt,
vnà præfuiſſe refert Alexan.ab Alexan.lib.3.cap.3.& duos re-
60 ges vnà aliquando † in Francia fuiſſe argumento eſt epiſtola
120.lib.7.epiſtolarum beati Gregorij papæ: Cui quidem epi-
ſtolæ prænotatus eſt titulus: ad Theodericum & Theober-
tũ Francorum Reges. de quibus & planè Ammonius libro 3.
61 Porrò autem Papam vnum tantùm † eſſe poſſe ac verè fuiſſe
ſemper,ſatis oſtendit Honorius in cap.ſi duo.79.diſtin.& lu-
culenter comprobat Iacobus Almaïnus tracta. de poteſta. ec-
cleſ.cap.5.quanquàm Theoderico principe Romam tenente,
62 Laurentius † & Symmachus vnà pontifices cum controuerſia
per tres annos fuerunt, autore Nicephoro monacho in eccle-
ſiaſtica hiſtoria.nempe etiam 22.ſchiſmata talia collegit cum
eo Gerſo.in tracta.de ſchiſma. poſt varia chronica, quibus ſi-
miles item multæ ſunt aliæ hiſtoriæ non ignotæ magna ex
parte.& notat ex ijs, quæ in ſchiſmatibus eiuſmodi legit ille,
quòd ſemper vnus vicit tandem, electus ſiue primo ſiue ſe-
cundo loco à maiori verorum electorum parte, & malè ceſ-
ſit cæteris Adhæc ſcripſit beatus Cyprianus lib.4.epiſto. ad
Antonianum,cùm poſt primum ſecũdus eſſe non poſsit, quiſ
quis poſt vnum,qui ſolus eſſe debeat,factus eſt,non iam ſecũ-
dus ille,ſed nullus eſt.& item Ioan.Gerſonen.in lib.de aufer-

bilitate papæ, conside.8. dicit contrarium sentientes esse hæreticos contra articulum illum: Et vnam sanctam ecclesiam. Hócque multis corroborat Federicus Nausea in homilia 16. cap. Matthæi. tradidítque gloss. in cap. non autem. 7. q. 1. Paritérque nullo modo fieri posse, vt duo sint papæ, docet Panor.
63 in cap. j. de paroch. verùm † & ipse papa optima ratione certè & diuino quodam consilio parochias instituit, diœceses distinxit, episcopos creauit, & metropolitanos præfecit, vt tanquam membra capiti obsequentia, cuncta secundum eius voluntatem salubriter in Domino gubernarent, & tanquàm riuuli à perenni fonte Romana videlicet ecclesia deriuati, ne angulum quidem dominici agri non irrigatum dimitterent, vt habet Leo decimus in concordatis Franc. tit. de cõstit. cap.
64 vni. in princ. qui quidem † etiam episcopi in suis diœcesibus soli esse debent: cap. factus 7. q. 1. vbi huiusce rei diffusa explanatio. quanquàm hostilitatis vel paupertatis necessitate, vel duæ episcopales sedes in vnam redigantur apostolica autoritate, vel & plures ex vno episcopatus consentiente episcopo fiant. cap. & temporis. cum quinque sequentibus. 16. q. 1. cum etiam declaratione Gratiani in cap. vlt. 25. q. 2. sícque quòd non possint esse in vno episcopatu duo episcopi, allegatur c. didici. 24. q. 1. & traditur per Pan. in ca. quoniam. de off. ordi. Id verò nisi ex dispensatione papæ, vt idem docet in cap. t. fraternitatis. de præben. At & in vnaquaq; ecclesia vnum
65 † presbyterum esse debere, pulcher tex. est in cap. pen. 21. q. 2.
66 & in vnaquaque curia atque gubernatione præstare † vnum esse, qui præsit, præter cætera, videmus & naturæ exemplo, quę vnum tantùm caput vni corpori legitimè indidit, & experientia quotidiana edocti, coniunctionem ijs, qui plures vnà præsunt, dissidium atque impedimentum frequens parere. vnde passim celebratur illud Homericum, Non esse bonã dominationem plurium, sed dominum vnum esse oportere. Cæterùm locis, in quibus videntur ij ipsi velle Imperatores, Imperatorem esse dominum mundi, facilè plerique responderunt, illos non esse iure testes idoneos in re sua. quanquàm id controuerti possit, dicíque, Imperatorem esse quidem testem ac iudicem in re sua, pluribus iuris exemplis pro iure in eo quoque habitis. Sed id etiam responderi potest, tum quidem

dem quum nullum recognoscebant superiorem, id fieri potuisse videri, quod in l. & Tiberius. ff. de hered. inst. legitur, & si. nunc autem minimè, & posteaquàm superiorem papam omnino vel iure habuerunt dominúmque in terris, in sede Romana fundamenta veri ac maximi imperij iacientem.
67 Porrò † transeat illud, quod quidem exprimitur, in re quidē sua saltim generaliter non habentem superiorem testem & iudicem esse posse quodammodo rigore iuris. vbi dubium est, an specialiter ad eum pertineat. nullo tamen iure probatur in propria causa de re, quæ nullomodo adparet seu videtur ad talem pertinere, eum siue testem siue iudicem esse posse.
68 quod & valde per se adpareret absurdum. † Id quod in solo Deo non videtur, cui subiecta sunt omnia, & qui non secundum carnem, vt homines, iudicat, & verum est testimonium ac iudicium eius. Ioan. 8. vnde & Iere. 29. Ego sum iudex, & testis: dicit Dominus. Et pariter nos eam sententiam Bartoli reijciendam putamus, quæ habet in l. j. §. fi. de rei vend. ff. Imperatorem totius mundi dominum esse saltim vniuersaliter, etsi non particulariter: quare per illum textum totum mundum vendicare posse, si aliquis occuparet, idem sentit Bal. in cap. vnic. col. j. de pac. iur. fir. in vsib. feud. vbi etiam citat l. rectè dicimus. de verb. & rer. sig. ff. quasi velit per illam l. etiam dicere, Imperatorem habere proprietatem mundi, etsi non
69 vsumfructum. debet enim † intentio doctoris intelligi talis esse, qualis esse videtur ex lege, quam allegat, vt vult Bartol. in l. non solùm. §. liberationis. ff. de liber. leg. & ad l. vxorem. §.
70 pater naturalis. de leg. 3. ff. & alibi sæpe doct. sicque lex † allegata secundum materiam subiectā debet accipi. l. si vno. ff. loca. l. quoties idem. de regul. iur. Ait verò idem Baldus eodē loco, non contentus ijs, omnes ex iure Imperatori subiectos, & meritò, sed non omnes de consuetudine, ideò peccare, si-
71 cut Francigenas & alios reges multos. Accedat † similis farinæ dictum Bartoli in l. hostes. ff. de capti. & post. re. eum planè hæreticum esse, qui negaret Imperatorem dominum mundi totius, cùm contra illud euangelicum, Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis, Lucæ 2. prorupisse satis dici posit. id quod etiam Accursius memorans, sensisse videtur ad priorem inscriptionē huius Codicis, voce,
perpe

perpetui: eiúsque autoritate, licet tacita, fretus Bartolus tam petulanter illud expressisse: & idem Ioan. Ligna. tract. de bello cap. 13. sunt enim hæc insulsa, puerilia, & ridicula, nedum
72 falsa, & tantis doctoribus indigna. Ecquis †, quæso, dedit Imperatori aut mundum, aut mundi vniuersitatem, seu proprietatem? multa quippe dicimus, & deficimus verbis, ait Ecclesiasticus cap. 43. quin & Baldus notat in cap. solitæ. de maio. & obedi. in eo quod dixit Bartolus hæresin minimè cadere posse: & bene: quanquàm idem scripserit Archiep. Floren. prima tertiæ tit. 4. cap. 2. in princ. Etenim, id narratum quidem accipitur, sed adprobatum nequaquam, vt alia pleraque secũdum ipsos Theologos Doctores & Canonistas. à quibus planè dicitur multas narrationes, quæ ponuntur in decretalibus, vt veteri nouóque testamento, non esse decisorias, vt docet Barba. in cap. coram. in fi. de off. deleg. sic Machab. 2. ca. 24. licet laudetur Rasius senior, factum eius tamen neque laudatur neque probatur, iudicandum sanè potiùs, quàm imitandum: vti scripsit Augustinus Dulcitio tribuno, epist. 61. sic & dictum cæci illuminati, quod est Ioan. 9. non tanquam omnino verum, & ab euangelista profectum habetur, sed tanquam narratum, vt traditur & ab Ioanne Raulino in itinerario paradisi, sermone de pœniten. 34. col. 2. adhócque cap. nec mirum. §. prætereà. 26. q. 5. & item gloss. in l. Gallus. §. idem credend. de libe. & posth. cum si. & quod amplè adnotat Ias. in l. j. nu. 37. ff. de eo, cui mand. est iurisd. sed &
73 nequaquàm ipsum etiam Augustum intelligas † toti mundo imperasse: quando & B. Ambrosius lib. in Lucam secundo, cap. 2. expressit, ipsum Augustum non imperasse Gothis, neque Armenijs. ac semper quamuis latè humana tendantur imperia, plures necesse est gentes relinqui, quibus regum quisquam non imperet, teste Boëtio, lib. 3. consol. Philos. Sunt & qui dicant locutum illum textum, Lucæ scilicet secundo, per hyperbolen. quod vult Alciat. in l. j. infrà de sum. tri. ídque adiuuat, quod scribit Theophilactus in
74 Euang. Ioan. cap. 21. morem scripturæ † esse loqui per hyperbolen. dixit & Hugo sancti Victoriensis, ipsum Lucæ textum loqui per synocdochen. vnde etiam orbem intelligas, quemadmodũ nunc dicemus, vel adulatoriè dictũ ab Ouidio,

necesse est lib.Fastorum.j.

Si petat à victis, tot sumet nomina Cæsar,
Quot numero gentes maximus orbis habet. Et lib.2.
Quodcunque est alto sub Ioue, Cæsar habet.
Romanæ spacium est vrbis, & orbis idem.

Docuit verò etiam Ludouicus Viuis ad beatū August. de ciuita.Dei,lib.5.cap.25.vbi textus ait: Vnum Augustū Constātinum Imperatorem,vniuersum orbem Romanum tenuisse & defendisse,dictum orbem Romanum,id quod ex orbe possidebant Romani,vt orbis Christianus,quod possident Christiani,& orbis Hispanus quod Hispani tenent.quo sanè in significatu nō semel vtitur apertè Seneca in Octauia,&,si memini,Liuius lib.42.& Catili.in inuect.2.in Cicer. & Plinius lib. 12. cap.12. & omnino Vlpianus ff. de statu hominum.habens:In orbe Romano,qui sunt,hoc est,qui sunt sub Imperio Romano, [illegible], vt est in nouella Græca Iustiniani 78. ex constitutione Imperatoris Antonini ciues Romani effecti sunt, & ita legunt ex Florentinis Pandectis,& docent, atque inde, Romam communem patriam dici,scilicet subditorum Imperio,quòd omnes sint eius ciues, Alcia.in l.hostes.de verbo.& rer.sig.& dispunc.lib.2.cap.21.& Anto.Augustinus lib.singu
75 lari ad Modestinum,†de excusationibus tutorum.aitq; Viuis prædicto loco,stultum esse affirmare Imperatorem Romanum,ius habere in totū orbem terrarum , cuius nūquàm fuit dominus,nec in ea quidem ius habet quorum aliquando fuit dominus,& jam amisit, quoniā quo iure quæsierat,eodē perdidit,strage scilicet hominum, & bellicis furijs. Accēduntur principes istis fictitijs titulis:qui nihil aliud sunt,quā faces orbis terrarū,pestisq; toti⁹ generis humani.in culpa est impia & indocta Iurīscōsultorū argutatio,inquit.inq; hos inuehit Io.
76 † Quintinus in c.nouit.de iudic.exclamās,ò Palfurios,publicos humanæ societatis hostes,ciuitatum subuersores, cruētarūq; prędarū & spoliorū cōcinnatores & c.Hmōi est itē,atq; otiosum quod à quibusdā dictū est Imperatorē supremā & vniuersale iurisdictionē habiturum,si omnes mūdi nationes sibi subditas redderet.cur enim & in alijs regib⁹ idē nō esset? Quinimo hoc & illud falsò asseritur.nam vt ait Paris Put. eo tractatu sæpe à nobis citato,quo [illegible] agit,tit, de excess.

Reg,

reg. princip.& duc. Ac Archiepiſ. Floren. 1. par.3. par. tit. 3. ca.6.§.vlt.excedunt principes,qui occupant terras alienas, nõ contenti proprijs terminis:cap.transferunt.24. q. 3. ad quod & cap.recolentes.§.ideóque.de ſtat.mona.& cle.paſtoralis.de ſen.& re iudic.& l.j.infrà de prꝫto.& hono.præt.ibi: Maneat vnuſquiſque domi ſuæ tutus,atque ſecurus, & ſua dignitate lætetur:iuxta illud Horatij:

Lætus ſorte tua viues ſapienter, Ariſti.

Ad idem bellè Hoſtien. & Panor. in cap. ſuper eo. ad fi. de
77 paroch.& aliæ paroch.tradentes,†quòd limites dignitatum ſecularium non poſſunt præſcribi: licet domini & principes malè obſeruent. nam quotidie occupant aliorum territoria cum graui præiudicio animarum ſuarum. dicítque ille in ca. quod ſuper ijs. de voto. ſe mirari quomodo tales principes à ſuis confeſſoribus abſoluuntur.& docet Pan. in cap. ſicut di-
78 gnum.de homic. quòd conſiliarij ſuadentes † huiuſmodi bella,tenentur ad reſtitutionem malè ablatorum. quales ſunt (prô malũ) hac tempeſtate gratiſsimi multis principibus: vt dicit Petrus Biaxius,olim Regis Nauarræ conſiliarius meritiſsimus, & patris mei amantiſsimus, in directorio electionum,par.2.cap. 24. inquit etiam Petrus Montius de veritate vnius legis, lib.11.cap.33.qui alienum regnũ bello deuincit & ſubiugat,vel aliòquin illegitimè aſſequitur, ſemper peccantem imperare,& quãtò diutius,tantò grauiùs.in quo & vulgatus tex. cap. cum tanto.de conſuetud.Porrò planè Prouerbiographus:Ne tranſgrediaris, aut tranſgredi facias terminos antiquos,quos poſuerunt patres tui.Leo papa in cap.quæ ad.25.q.1.& in cap. ſi quis epiſcopus. 7. q. 1. ſuis terris contentus quiſque ſit, nec ſupra menſuram iuris ſui affectet augeri. Dionyſius in cap. eccleſias. 13. q. 1. Sit vnuſquiſque terminis ſuis contentus & c.& beatus Petrus,vt Clemens refert epiſtola prima ad Iacobum fratrem Domini, docuit nullum aliena concupiſcere, aut præſumere quicquam eorum
79 debere, ſed vnumquenque ſuis ſibíque † commiſsis contentum eſſe. & monet Iulius Frontinus in initio lib. de controuerſ. limit.vt vnuſquiſque ſuos fines teneat, non alienos laceſſat. Conſentaneè Herodotus Halicarnaſſeus lib.3.ait iuſti eſſe,non alienam regionem affectare,ſed eſſe ſua contentum,

nec homines, à quibus nihil lacessitus est, in seruitutem redigere. atque olim quidem principio gentium, quo tempore Imperium penes reges erat, fines Imperij tueri magis, quàm proferre mos erat. intra suam cuique Patriam regna finiebantur.
80 & apud Scythas, quippe † genus habitum hominum singulariter rude ac barbarum, vsqueadeò iustitia valuit, eorum culta ingenijs, non moribus, vt nullum scelus apud eos raptu & furto grauius fuerit. quippe sine tecto munimentóque pecora & armenta habentibus, quid saluum esset, si furari liceret? aurum & argentum perinde aspernãtur, ac reliqui mortales appetunt, lacte & melle vescuntur. lanæ ijs vsus ac vestium ignotus: & quanquàm continuis frigoribus, pellibus tamen ferinis aut murinis vestiuntur. Hæc continentia illis morum quoque iustitiam dedit, nihil alienum concupiscentibus.
81 quippe diuitiarum cupido † ibi est, vbi est vsus. atque vtinam reliquis mortalibus simul moderatio & abstinentia alieni foret. profectò non bellorum tantum per omnia secula continuaretur, neque plus hominum ferrum & arma, quàm naturalis fatorum conditio raperet. prorsus vt admirabile videatur, hoc illis naturam dare, quod Græci longa sapientum doctrina præceptísque Philosophorum consequi nequiuerunt, inquit ille. Et nos dicere possumus, quod Christiani, quanquàm vera ac pacifica penitus imbuti religione, à Christo fundata Deo opt. Max. per Apostolos propagata, celebriorum quorumcunque scriptis vocéque commendata, martyrum triumphis illustrata, adepti non videntur, eóque videntur, prô pudor, incultæ barbariei collatione superari. fuere
82 † verò primùm vexores rex Aegypti, & Scythiæ rex Tanaïs, quorum alter in Pontum, alter vsque Aegyptum excessit: sed longinqua non finitima bella gerebant, nec imperium sibi, sed populis suis gloriam quærebant, contenti victoria, imperio abstinebant. Ninus autem rex Assyriorũ primus omniũ & quasi auitum gentium morem noua Imperij cupiditate mutauit, quod in Rhapsodia Trogi retulit Iustinus. Maseas
83 † quoque phœnix Damascenus lib. 97. historiarũ asserit ante Ninum fermè ducentis quinquaginta annis fuisse inundationem terrarum, & quendam, cui testimonium perhibet Moseus antiquissimus historicus, liberatum circa fluuium Araxim

xim ad montes Caſpios, túncque recenti cęlo & rudi humano genere vixiſſe auream vitam, in qua, nullo ferente legem,
84 natura ipſa viuebatur, quouſque † Ninus & Semiramis arma populis inferentes, primi vitam humanam vitiare cœperūt. etſi iam ante diluuium Cain, & poſteà Nemroth rapaces & ſęui fuiſſe in aliena narrātur à Ioſepho lib. antiquitatum. j. & quibuſdam alijs. in quo & ſacra Geneſis ſuffragari videtur, & de ſeculis multa cantata ab Heſiodo, operum & dierum volumine primo. Adhæc de ipſo etiam Imperatore Romano ſpecialiter Hegeſippus lib. 5. cap. 15. ſcripſit, Auguſtum
85 apud † Romanos nomen Imperij eſſe, quòd augeat ſuos, non quòd alienos opprimat. verùm quoque de acquiſita Imperij
86 † magnitudine gaudere, magnopere periculoſum eſt: qua re principem Deo probatiſsimum Dauid exaſperaſſe Dominū, prodidit ſcriptura. 2. Reg. 24. déque eo ait D. Auguſti. de ciuit. Dei lib. 4. cap. 15. Videāt ne fortè non pertineat ad viros bonos gaudere de regni latitudine. & in hoc Marti. Lauden. in tracta. de princip. nu. 46. Placet autem quod noſter à Graſ-
87 ſalio in opere regaliorum retulit, † Imperatorem poſſe dici dominum mundi ſpe, non re. quoniam videlicet Imperatores multi ſperarint futurū, vt totū mūdū ditioni ſuæ ſupponerēt & domini fierēt eius. ſed minimè id cōtigit. quis enim neſciat, vt quidā noſtrorū elegāter ait, plerūq; hominis cōſiliū falli, & quod quiſque conceperit, non ſemper ex voto ſuccedere?

Ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ,

Inquit Poëta. facítq; l. ex malef. §. ideò autē. de actio. & oblig. ff. & Leonis decimi epiſ. 10. lib. 4. etiam hoc modo dici dominum omniū Imperatorē, abſonū nō videbitur, quia ſperaret, hoc eſt putaret ſibi omnes homines vel iure ſubijci. quo ferè
88 vitio quiſq; ſe decipit, † trat⁹ plus habere in bonis, quā habeat: quēadmodū habet hic princeps in ſuis inſtitutionibus. §. præualuiſſe. quibus mod. manu. non lic. ſæpe de facultatibus ampliùs, quā in ijs eſt, ſperāt homines. híſq; accomodū eſt quod in hac quęſt. tandem ait Io. Fab. ad l. j. de ſum. tri. inf. quicquid ſit adparere in illis, qui reſiſtūt Imperatoribus magnanimitatē, in eis impotētiā & puſillanimitatē, per tot tēpora nō valētibus ſibi ſubijcere, quorū dominos ſe arbitrātur. & hmōi tāquā pecorib⁹ dādos eſſe curatores, cū Mōtolaudunēſe & Bal.

dixit Blasius Auriolus in additio. illius ad ca. grandi. de sup-
89 plen. negli. præl. in 6. Nota † item ex hoc textu summam Rei-
pu. tuitionem & sustentationem in duobus consistere, armis
& legibus, rebus adinuicem bene dispositis sibi suffraganti-
bus & necessarijs ad edomandas & continendas in modestia
plurimas & magnas hominū ineptias, quasi duobus brachijs
mundi, sicuti Accursius dixit. & de coniunctione armorum
& legum adnotans Ioan. Droseus in methodo iuris paratitlo
90 de captiuis, ff. ait, deam † eandem bellorum & studiorū esse.
à quorum altero dicta est Pallas, ab altero Minerua, contra-
rijs tamen etsi aptis significationibus. Pallas, à vibrando forti
ter in Reip. hostes tela: Minerua, à minuendis neruis, ob ma-
gnum literarum studium, præcipuè in primæua ætate cui esse
91 literas seu ipsarum radices † quàm amarissimas scientes non
ignorare dicit post Catonem illum veterem Aggænus Vrbi
cus ad Iulium Frontinū de controuersijs limitum agrorum.
vnde & similibus apparet coniunctionem istam non tam in
92 vno, quàm in multis aptè intelligi. quanquàm † vni olim præ
tori in prouinciam misso armorum iuxta ac legum potestas
fieret. itaque Iustinianus plerisque in locis has potestates di-
uersas atque ideò rixantes noxiè in vnum contulit. vt latè le-
gitur de præside nouel. Græc. const. 24. & de prętore Licao-
niæ const. 25. & de prætore Thraciæ const. 26. vbi quoq; egre-
giè commendatur ciuilis atque militaris facultatis coniun-
ctio, quæ ab vno probè disponitur, licet dispariter exercea-
tur. & c. Adhæc Plato de legibus lib. 9. Necesse est, inquit, le-
93 ges hominibus ponere, vt secundum † leges viuant. nam si
absque his viuerent, nihilo à feris atrocissimis discreparent.
cuius rei causa est, quia nullius hominis ingenium ita naturâ
institutum est, vt quæ ad publicum humanæ vitæ bonum cō
ferunt, sufficienter cognoscat: etsi cognouerit, vt optimum
id, quod nouit semper agere possit, ac velit. idem lib. j. rectè
94 positæ leges vtentes † beatos efficiunt, ijs bona duplicia por-
rigentes, diuina, & humana quæ à diuinis dependent. si qua
ciuitas diuina suscepit, minora quoque possidet: sinautem il-
95 lis caret, vtrisque priuatur. humana sunt † sanitas, forma, vi-
res, diuitiæ: quæ cæcæ non sunt, sed acutè cernunt, si pruden-
tiam sequantur: quæquidem diuinorum bonorum dux pri-
mus

mus existit, deinde temperatus animi habitus, ex his duobus cum fortitudine mistis iustitia tertiò emergit, fortitudo quartum tenet locum: quæ humanis præponuntur. hæcque eum ordinem habent, vt singula operantes, humana ad diuina, diuina ad mentem principem referant. Idem in epist. ad Dionis propinquos, & amicos ordine 8. lex recta & beatitudinem hominibus afferre potis virtutem animi omnibus anteponit, deinde virtutem corporis virtuti animi seruientem, vltimò pecuniarum pretium collocat animo ministrans, & corpori. Cicero etiam non ab re verba agens de Iurecõsulto eius temporis
96 præstantissimo pro L. Murena, †ita ait: Seruius hic nobiscum hanc vrbanam militiam respondendi, scribendi, cauendi, plenam solicitudinis ac stomachi secutus est, Ius ciuile didicit, multum vigilauit, laborauit, præsto multis fuit, multorũ stultitiam perpessus est, arrogantiam pertulit, difficultatem exorbuit, vixit ad aliorum arbitriũ, non suum. magna laus, & grata hominibus, vnum hominem elaborare in ea sciẽtia, quæ sit multis profutura. Porrò de re militari idẽ: Rei militaris vsus
97 præstat cæteris† omnibus. Hæc nomen populi Romani, hæc huic vrbi æternam gloriam peperit. hęc orbem terrarum parere huic Imperio coëgit. omnes vrbanę res, omnia hęc nostra præclara studia, & hæc forensis laus, & industria, latent in tutela ac præsidio bellicæ virtutis, simulatq; increpuit suspicio tumultus, artes ilicò nostræ conticescunt. Ex quo videbitur cuiquam iuris ac militarem prudentiam, tanquam ouium & canum custodum se quodammodo habere rationem, secundũ relatum à Xenophonte de dictis & factis Socratis apologum. Proinde etiam non absurdè ait Maioragius in 9. aduersus Calcaguinũ Ciceroniana decisione, quòd si vera fateri volumus,
98 †dicemus vtranque virtutem & bellicam & vrbanam æquè Rempub. conducere. sed tamen digniorem esse vrbanam intelligi oportet. quod infrà fusè ostendemus.

§. Meritò igitur ad primam communium rerum sustentationem nostram sententiam & mentem laboresque nostros referentes, militaria quidem agmina, multiplicibus & omnem prouidentiam continentibus modis, correximus.

Ambigi potest cur militia dicta sit prima communium re-
1 rum †sustentatio: an quia primus Romanorum conuentus, eorum inquam, qui primi Romam habitarunt & condiderunt, constitit

constitit bello, & ad id armis perductus est? siquidem Romulus Remúsque fratres, qui Numitorem auum in regnum restituerent, primùm bellum fratri eius Amulio intulerunt, pastoribus adunatis, gesserúntque, & ciuitatem bellici viri condiderunt: quam tamen priùs legibus, quàm mœnibus munierunt, ipse videlicet Romulus augurio solus factus
2 Rex summus,† edicens, ne quis vallum transiliret. quod Remus irridens transiliuit, & à Fabio celere Centurione rastro fertur occisus, vt Nepos scripsit. Titus verò Liuius ait. Aucta ad modum aliquem ciuitate & muris vallata, Remum fratris ludibrio transilijsse muros, inde ab irato Romulo, cùm hic idem verbis increpitans quoque adijceret: sic deinde quicunque alius transiliet mœnia mea, interemptum: túncque populum in partes diuisisse, & alias tulisse leges. vnde vt retulit
3 post alios Carion, Adrianus papa†eius nominis quartus, sanguine parare pontificatum, non esse Petro succedere, sed potiùs Romulo dicebat. De quo & nostri Iurisconsulti meminerunt. l. ij. in princ. de orig. iur. & l. vlti. de rer. diuisi. Simile principium præstitum Romanis est longè ante Romulum à Troiano Aenea, & post ipsum Romulum, à Iulio Cæsare, quorum nota est nimiùm historia. & hoc bonum ait principium Iustinianus ipse nouell. 30. cui titulus: De Proconsule Cappadociæ. & in ea cui titulus: Vt præponatur nomen Imperatoris: hæc tria Romanæ Reipubl. signauit principia: &
4 item post Romulum† cōditor vrbis alter iactatur Scipio: qui omnibus de relinquenda ciuitate in senatu consultantibus, & sedibus alijs quærēdis, stricto gladio inimicum se habiturum eum professus est, qui amplius de ea re consultaret, omnésque in verba sua de defendenda Republ. iurare coēgit, & tandem strenuè pugnans, metu liberauit. Sic tertius conditor Romæ
5 † dictus C. Marius: à quo consulatum quintum gerente, bellis atrocissimis vexatus status Imperij Romani, conseruatus iudicatur. de quibus vel Orosium legito. vel sanè etiam, an dictum est illud, quòd primùm Iustiniano imperanti necesse fuerit incumbere bello, & id primùm exercuerit, dein verò iura pertractarit? Ita enim fecisse illum suis etiam cōstat scriptis, & tradit Perrinus in eius vita, ipséque Accursius notat in l. postliminium. §. filius. ff. de capt. & postlim. reuers. vbi tamen

men ineptè intellexit antiquius dictum, pro vetustius: quod pro potius haud dubiè positum est. sicque autoritate eius Cygand tractatu de bello Italico tradidit, prius bellum legibus extitisse. hisce de causis profectò satius est intelligere primã
6 rerũ † communium sustentationem militiam dictam, quàm quòd prior fuerit, vel dignior, quàm leges, sit. tametsi priusquàm Ius ciuile, bellum extitisse intelligi videtur, in l. ex hoc iure. & seq. de iustit. & iur. ff. & sanè scribit elegans autor
7 † Robertus Valturius cap. j. de re militari, antiquissima rei bellicæ initia, longéque ante vrbes legésq; conditas, ante æris ferríque vsum fuisse. Et primùm quidem, licet legamus Apocalyp. 12. prælium magnum factum in cælo, cùm delinquens Satanas & sui, à Michaële & angelis eius deorsum proiecti sunt. De quo & Esaias cap. 14. & doctor Lignanus tractatu de bello, cap. 3. Anteà tamen quoque intelligendum remur tacitam legem datam: tacitis nempe intelligentijs, vt id ad quod erant, agerent, creatorem Dominum agnoscerent, agnoscentes honorarent, honorãtes maximè, ne quid de se altiùs, quàm par erat, & in Creatorem suum sentientes, præsumerẽt. sicut & homini, cùm primùm est factus, dicta est à Deo lex, ne de ligno scientiæ boni & mali ederet: vt habetur Genes. 2. per hoc volente, qui creauit nos, illo, sine solicitudine ac cura vnum opus habere, quod angelorum est, laudare indefessè & assiduò Creatorem, & ipsius contemplatione delectari: vt latiùs docet beatus Ioan. Damascenus orthodoxę fid. lib. 2. capit. 11. Quin certè illud quod in cælo dictum est fuisse bellum seu prælium, similis quodammodo prælio voluntatis diuersitas intelligitur, non bellum, siue prælium, vel pugna. Et D. Augustinus homilia 11. in Apocalyp. vbi est: Et
8 draco pugnauit, † & angeli eius. interpretatur diabolum & homines voluntati eius obtemperantes pugnasse subijciẽs: nã absit, vt credamus diabolũ & angelos eius in cælo ausos esse pugnare, qui in terra vnum Iob ausus nõ est tẽtare, nisi cùm à
9 Domino postularet, vt læderet. † Rursum verò, etiam post diluuiũ ilicò hominibus data est lex, ab eodẽ scilicet, qui eos saluos fecerat, ne homicidiũ admitterent, vt habetur & traditur Gen. 9. ꝑpptereà quoq; dixit Esaias c. 33. Dñs legifer noster. & Iob 36. Nullus ei similis in legislatorib. Deinde verò excre-

ſcēte admodum populo Dei: vt per diſcurſum Geneſcos licet videre, & Exod. 4. gubernatorē & iudicē, necnō legiſlatorē egit Moſes, in primis à Deo cōſtitutus: vt legitur Exodi 3. idq; diuus Chryſoſtomus enūtiat operū ſuorū Tom. 6. hom. 21. De quo etiam dictum à Pſalmographo: Conſtituiſti Domine legislatorem ſuper eos, vt ſciant Gētes, quoniam homines ſunt. Et fuerūt deinceps multi alij eiuſmodi etiam apud alias Gentes inſignes viri. quorum meminit Iſidorus lib. etymolog. 5. ca pi. j. & apud Gratianum in capit. Moſes. 7. diſtinct. & Iuſtinus martyr in ſuo admonitorio Gentium. & Beroſus Chaldæus, lib. 5. ſuæ hiſtoriæ. Ioan. Boëmus in præfatione operis, cui titulus: Mores omnium Gentium. Polydo. Virgilius de inuēto. rer. lib. 2. ca. j. Ficinus in Minoën Platonis. Valturius de re militari lib. 4. capit. j. Philelphus in oratione, quam in laudem Theodori Plati Iureconſulti habuit. Textor in ſua literaria
10 officina, de quibus dixit filius Syrach. cap. 17. in†vnamquanq; gentem præpoſuit rectorem. Iique omnes primùm in eo elaborarūt, vt Iuſtitia, ratione, iure, legibus, hominum actus moderarent, antè, quàm potentia, vi, bello & armis: non quòd potentia fugienda ſit, tanquàm malum, ſed ordo ſeruandus eſt, quo prior eſt Iuſtitia. Vnde & diabolus non potentia Dei, ſed Iuſtitia ſuperandus fuit. & ſi diabolus vitio peruerſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & deſertor oppugnatórque Iuſtitiæ. & ſic homines eum tantò magis imitantur, quantò magis neglecta vel etiam peroſa Iuſtitia, potentiæ ſtudent: vti ſcripſit beatus Auguſti. De trinitate, lib. 13. cap. 13. ex quo adparet diabolica lex Muhamed, quæ potentia cepit, & iuſſa eſt
11 ferro omnino propagari. Porrò verò inde pręceptum†eſt populo Dei, vt cùm oppugnare vellent aliquam ciuitatem, primùm offerrent pacem. Facítque l. actiones. infrà de actio. & l.
12 qui reſtituere. ff. de rei vendica. etenim†propterea ſunt arma, vt quod ratio, Ius, leges in rationalibus hominibus efficere nequeunt, vis ferarum propria peragat. ſunt arma propter leges, vt his nolentes parere, cogant. proinde hæ longè adparent digniores illis. Primùm, quòd antiquiores ſiue priores & vetuſtiores ſint, vt dictum eſt: & vetuſtatem dignitatem arguere dubium non eſt. Et facit l. cùm quid. cùm multis ibi traditis. ff. de rebus cred. Secundò, quia finis ſunt eorum, & vtique dignior

dignior est finis illis omnibus, quæ sunt ad finem, vt sæpe dixit Aristote. & facit l. & fi. §. perueniat. de auro & arg. lega. ff. Tertiò, quia circa animum & rationem, & in ratione Deo & homini propria, qua nempe homo excellenter factus dicitur ad imaginem Dei, vt notauimus infr. ad l. si quis in metallum. de pœnis. versantur, & consistunt. cap. erit autem. dist. 4. cum
13 simil. arma † verò maximè constant corporis viribus, & violentia ipsis beluis propria, beluinisq; moribus similima. vnde ipsum bellum à beluis dicitur, quia beluarum sit perniciosa dissentio: vt ait Festus Pompeius. hincque idem adparet rursum comparatione prædictarum rerum, & officio inter se partium, inquam hominis, corporis & animæ, iuxta Panor. in
14 cap. omnis. not. 8. & cap. seq. not. 3. de pœni. & rem. anima † certè immortalis, incorruptibilis, dominans: corpus mortale, corruptibile, seruiens. Anima, inquit Aristoteles Politic. 7. & lib. de anima, differt à corpore, tanquàm perpetuum à corruptibili. & vndique præstantiorem animam corpore tradit Augusti. lib. de Genesi ad literam 12. cap. 16. & lib. de spiritu & anima. Bald. in l. illud. in fin. de lega. infrà, appellat membra, officialia animæ. & conuenienter ait beatus Cyprianus lib. de cardinalibus operibus Christi, corpore anima vtitur, sicut faber malleo vel incude, ad quicquid vult. hancque illi imperare facilius, quàm sibi, dicit beatus Augusti. de ciuit. Dei, lib. 14. cap. 23. vnde non domini, sed defensores & seruientes milites adnuuntur in l. ab hostibus. ij. infrà de capt. & in autent. §. quod autē primitus. §. quia enim. vt iudices sine quoq. suff. §. si quis. versi. habebis. de manda. princ. Hincque Cicero:

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

15 Et Aegyptij † orationem significantes, linguam pingunt, & subter manum, idque quod orationis artifici linguæ primas tribuant, secundas verò manui, tanquàm linguæ volita perficienti: vt Orus scripsit in Hieroglyphicis notis. Porrò, leges circa serenissimum & splendidissimum tempus pacis maximè versantur, & locum habent eo tempore: arma verò obtinent belli teterrima tempestate. Ob id Iustinianus in proœm. Institu. nedum armis, sed etiam legibus imperatoriam maiestatem circumuallatam esse oportere dixit, vt vtrunq; tempus &
16 bellorum & pacis rectè possit gubernari. Pacem † autem di-

gniorem bello nemo negarit,ad quam ipsum quoque bellum, nisi omnino improbum sit, est referendum. De quo alibi latiùs. Item, sine armis vllis quibusdam victitatum est temporibus, ac gentibus cuiusque etiam seculi. Sine verò vel aliquibus legibus nulla vnquàm communio hominum diu stetit, neque die vno degit. nam & ipsa arma leges habent: quæ nisi diligentissimè seruentur, citò ipsa omnis militia dissoluitur, & malè perit siue pessimè habet, incommoda existens valde rebus cæteris quibusque optimis,vt constat. Quibus etiam id est consequens, quod plerisque in locis contro-
17 uertunt docentes, Doctorem † militi præferendum, Iurisconsultum equiti. Idque cùm sit traditum ab Aristotele lib. Ethico.j.cap.ij. scientiam ciuilem omni alia præstantiorem esse.& pronũtiatum post exemplum in hac re positũ à sacro Ecclesiaste cap.9.Meliorem sapientiam fortitudine esse.& iustitiam excellere cæteras virtutes dubium non est. Quare certò consequitur, administratores eius digniores, etiam si eorum officium esset tempore quoquomodo posterius: vt & docet Ludo. Gomesius in regul. cãcellar.apost.procœm.q.j. pro quo adhuc multa sunt, quæ scripsit Cicero de Officijs lib.j. capite cui initium:Sed cùm plerique arbitrentur res bellicas.
18 quanquàm idem in oratione pro Murena, scientiam†ciuilem & facultati dicendi postposuerit, & virtuti militari: illam multis lacerauerit, hanc anteposuerit etiam omnibus rebus, sed putarit aliquis eum non scientiam ciuilem & iurisprudentiam persecutum, intelligi oportere, quin potiùs eorum, qui Iurisconsulti habebantur, ineptias: idque ex ijs colligi, quæ pro Cæcinna dixit in hunc modum: Tum illud vulgò in iudicijs & nonnunquàm ab ingeniosis hominibus defendi mihi mirum videri solet, nec Iurisconsultis concedi, nec Ius ciuile in causis semper valere oportere. Nam qui id disputãt, si id dicunt, non rectè aliquid statuere eos, qui consulantur, nec hoc debẽt dicere, iuri ciuili, sed hominibus stultis obtemperari non oportere. sin illos rectè respondere concedunt, & aliter iudicari dicunt oportere, non rectè dicunt. Neq; enim fieri potest, vt aliud iudicari de iure, & aliud respõderi oporteat, nec vt quisquam iuris numeretur peritus, qui id statuat esse Ius, quod non oporteat iudicari. At est aliquando contrà
iudica

iudicatum.primum,vtrum rectè,an perperàm?si rectè,id fuit Ius quod iudicatum est:sin aliter, non dubium est vtrum Iudices an Iurisconsulti vituperãdi sint.Deinde si de iure vario quidpiam iudicatum est,non potius contra ipsos Iurisconsultos statuũt,si aliter pronũtiatum est, ac Mutio placuit,quàm ex eorum autoritate, si vt Manilius statuebat,sic est iudicatũ.

19 Etenim ipse Crassus † non ita causam apud Cẽtumuiros egit, vt contra Iuriscõsultos diceret:sed vt hoc doceret,illud quod Scæuola defendebat, non esse iuris, & in eam rem non solùm rationes afferret, sed etiam Qu. Mutio socero suo multisque peritissimis hominibus autoribus vteretur. nam qui ius ciui-

20 le † contemnendum putat, is vincula reuellit,non modò iudiciorum,sed etiam vtilitatis,vitęque communis.qui autem interpretes iuris vituperat,si imperitos iuris esse dicit,de hominibus non de iure ciuili detrahit:sin peritis non putat esse obtemperãdum,non homines lædit, sed leges ac iura labefactat. cùm tamen nihil sit magis in ciuitate,quàm ius ciuile retinendum.Etenim hoc sublato nihil est,quare exploratũ cuiquam posit esse quid suum,aut quid alienum sit, nihil est, quod æquabile inter omnes, atque vnum omnibus esse posit. Cæte-

21 rùm, pro A. Cluentio: Errat † vehementer, inquit, si quis in orationibus nostris,quas in iudicijs habuimus,autoritates nostras consignatas se habere arbitratur. omnes enim orationes causarum & temporum sunt, non hominum ipsorum, ac patronorum.nam si causæ ipsæ pro se loqui possent, nemo adhiberet oratorem.Nunc adhibemur,vt ea dicamus,non quæ nostra autoritate constituantur, sed quæ ex re ipsa causáque ducantur.

1 *Sine nouis expensis publicis constitutis.*) Nota † principem, siue bellum agat, siue quiduis aliud, potissimùm si nouiter & pręter morem, parcere expensis publicis debere, quantum fieri poterit, & prouidere ne subiecti grauentur. ad hócque l. vlt. infrà. de off. magis.milit.quod optari videtur in Gallia continuis lassa tributis,vt Sidonius ait.

§.Sed cùm. caliginem earum rectis iudicum definitionibus insidiantem.)

1 Nota legum ac † iuris, vel etiam cuiuslibet alterius lectionis, siue vacationis obscuritatem, rectis opinionibus nostris atque intelligentijs insidiari: ídque non aliter, quàm rete

L 3 auibus

auibus seu piscibus,vel certè homini vinum, quem impruden tem inebriat.iuxta cap.vino.37.dist. aitque M. Fabius senior, declamatio.331. multa iura decipere; neque ideò tamen conscripta esse,vt ignorantia fallant.

Electus uiris gloriosissimis, tam doctrina legum quàm experientia rerum studióque pro Rep. indefesso & laudabili proposito pollentibus.) Nota
1 eos,qui legislatores agunt, † nedum iuris scientia peritos esse oportere,verùm etiam experientia: quæ cùm sit rerũ omniũ, tum maximè ciuilium magistra est.in quibus sæpe quod absolutissimis viris bonũ fore videtur & sancitur,dein cognoscitur malum: vt & vult Baptista Mantuanus lib. de sacris diebus,in beato Hilario.quanquàm malo exemplo notans patrum decreta de cælibatu clericorum, si quis vniuersa aspiciat, longè quippe optima atque fundatissima. Nota item
2 † operępretium esse,vt talis vir Reipu.indefessus amator sit, & nedum possit,verùm etiam velit maximè ipsi seruire Rei pub.vt in eius cura idoneus sit.quemadmodum de clerico in eius beneficio dicitur,cap.extirpandæ.& cap. super inordinata. de præben.hincq; nota virum ciuilem inter cæteros indefessa,constanti,& maxima omnino vigilantia ac virtute præditum esse debere,præcipuè,præcipuum: vt de Cancellario Franciæ docet Budæus in tit.de off.præf.præ.ff.ad fi.

§.Tollendis. iisdem prudentissimis uiris à nostro numine mandatis, & nostro studio pro Repub.instituto suum præsidium Deus omnipotens annuit.)
1 Nota minimè deesse Deum † conanti rem laudabilem agere, facienti quod potest in re bona Dei auxilium præstò esse, idque tantò magis,quãtò res est melior,nempe pluribus pro futura,vt publica,iuxta illud quod sacer ille heros Iob Deũ alloquens,cap.14.ait:Operi manuum tuarum porriges dexteram.& cap.licet.de regul.& si.

§.Ad istum. cum sedula & peruigili industria moderatáque digestione.)
1 Nota † cùm omnibus,tum præcipuè viro ciuili nedum laboriosam industriam,id quod iam suprà dictum est,verùm etiã temperatam & moderatam necessariam esse: neque committendum, vt quod res omnium tangit, breuiter nimiùm, temeréque agatur.quo taxantur maximè, qui facilè consulunt
2 belligerandum:cùm † iniquissima etiam pax,iustissimo bello præferenda sit:vt ait Cicero. neque certè vlla res potest esse eadem

3 eadem festinata, simul & examinata. nec est † quicquam omnium, quod habeat & laudem diligentiæ suæ, simul & gratiam celeritatis: sicuti scripsit L. Apuleius lib. de Deo Socratis. & Procopius de ædific. lib. ij. negat esse solere cum temporis breuitate securitatem, cum festinatione perfectionem operis. quod per se adparet.

Vt rebus profuturus esset communibus, & nostro conuenisset Imperio.)

1 Nota, quæ princeps † agit etiam per alios, nedum vtilia esse debere Reipub. verùm etiam decere, vt principis ipsius personæ & temporis statui & felicitati, atque hominum existimationi respondeant. quod comprehendisse videtur beatus Hieronymus, dum liberiùs interpretatur Esaiam, capi. 32. vbi ait: Princeps verò ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, & ipse super Duces stabit. facítque Leo decimus lib. 9. epistol. 20.

§. Hunc igitur in æternum ualiturum iudicio tui culminis intimare prospeximus.) Similiter ait Iustinianus in §. vlti. infrà eod. & l. ij. de vete. iure enucle. §. penult. quo. opor. episc. §. fin. vt clerici apud propri. episco. §. fin. de consang. & vteri. & alibi passim in au-

1 tenti. † ex quibus notare licet, Cancellarium factis ordinationibus Regijs, ad Parlamenteas sedes mittere debere Regio sigillo subnotatas, & ipsas sedes ad inferiores Curias: non autem oportere eas constitutiones singulorum auribus inculcari. ad hócque Ludouicus Auriolus in additio. ad Gulielm. Montolaudunen. in cap. vt animarum. de constitutio. in 6. capi. primo. de postulatio. prælato. Rebuff. in l. prima. vlti. nota. de senten. quæ pro eo, quod inter. proferun. quæ vide. & dubium non est, quin ita constitutiones principis reuerenter debeant recipi, & seruari ab ijs, quibus mittuntur, & subditis

2 omnibus, vel ob ipsius † statim principis voluntatem. quæ magna & iusta habenda est ratio: vt notat Accurs. in l. quarta. ff. de pœn. Panormi. & Felin. in cap. quæ in ecclesiarum. de constitut. Marsil. in l. de vnoquoque. nume. 22. de re iudica. ff.

3 quanquàm certè potest decipi princeps. & ideò cauere † debet, ne sua conscientia sit malè informata: vt dicit Martinus Laudensis in tractatu de principibus. numero 41. Ideóque potest re diligenter animaduersa, ad principem ipsum recurri, si quid in ijs satis æquum non videatur, & videatur

decepta

decepta conscientia principis, vt res omnis cognoscatur: & si deprehendatur erratum quouis modo, emendetur: quemad-
4 modum tradunt docentes appellari † posse à iudice & principe malè informato seu instructo, ad eundem meliùs instruendum. Marti. Laudens. prædicto tracta. nume. 42. Aluarus Pelagius de planctu Ecclesiæ lib. j. articu. 15. Aureol. in additio. Montelaud. ad cap. j. de appellatio. Rebuff. ad l. quod iussit. secundo notab. nume. 53. & sequen. de re iudica. ff. Idque factum est non pridem in plerisq; vltimarum constitutionum Francisci regis articulis. Cæterùm, hîc positum verbum, intimare,
5 † frequentissimè apud Cæsares istos reperitur, pro significare, insinuare, publicare: vt & in l. illud. infrà de sacrosanctis ecclesi. in l. in hac. cum multis simil. de donatio. eóque vsus est Aelius Spartianus in Pessenio nigro. & in Aelio Vero, per autores plurimos intimata sunt, inquit. & similiter Ammianus Marcellinus lib. 15. Martianus Capella de nuptijs Philologiæ, lib. j. & lib. de grammatica, & lib. de dialectica. & alibi sæpe. diuus Augusti. lib. de cathecizandis rudibus, cap. j. & lib. confess. 6. cap. 92. & lib. de ciuita. Dei. 11. cap. 21. & Ioan. Conorimontanus in traductione libri de creatione hominis Gregorij Niceni, cap. 3. & cap. 8.
1 §. *Si quæ. uel apud principia numerorum.*) Hîc colligitur, † quod Perrinus notauit ad l. officium. ff. de re milita. principia appellata, vbi ius reddebatur in castris, sedentibus ibi ordinum principibus. In quo & text. dictę l. officium. & l. prima. de vetera. infrà. & Tacitus lib. j. & alij multi. dicta autem ab ea parte peditum, qui dicebantur principes. notat quoque Augustinus lib. singulari ad Modestinum. l. prima. §. j. de ero. milit. anno. infrà. sed & quæ in prima acie proponebantur, principia dicta, Pyrrhus docuit de Magistratibus Romanis lib. iij.

Tit.

Tit. De emendatione Codicis Domini Iustiniani, & secunda eius editione.

Inscriptio legis vnicæ.

1 IMperator.) Frequentia & celebritas huius† epitheti facit, vt vel hîc quicquam de eo adnotemus. & quidem imprimis animaduertendum occurrit, vbi hæc deest, principis vocem esse, vt in inscriptione ipsius Codicis, & § nouissimè. l.2.de orig.iur.ff. quòd scilicet idem sit vel intelligatur, vt docet Bar.in inscriptionem Digestorum.vbi & tradit, eundem
2 dici Romanorum Regem.† sed ante coronationem quidem, cùm nondum sit Imperator. at tum etiam esse Imperatorem, tãdem defendit Balbus episcopus in lib.de coronatione: idq; cum gloss.Iacob.ab Are.& Bald.in l.ex eo.de milit.testa.ff.& tradidit Cacialupus in repeti.l.diem functo.q.2. de off.assess. ff.licet inferiores per solam electionem non quærant Ius plenum: tamen papam atque Imperatorem sola electione ante coronationem consequi plenitudinem potestatis, & idem Petrus à monte, in monarchia, de Imperatore, q.5.notat tamẽ Paulus in repeti.cap.nullus.de electio.ex sola electione quẽq; quærere ecclesiam & administrationem eius, sed scilicet cõ-
3 firmata, vt constat, cùm habeat superiorem. ideò † non mirũ illud est in papa, qui non habet vel ordinarium in terris superiorem, à quo confirmetur. At habet Imperator, cap. venerabilem.de electio.ob id videtur cõtrarium in eo verius. Quod & tradidit Oldrad. consi.180.& sentit idem, facítque in eo Panor.in cap.nihil.col.5.de electio.& Ripa in ca.eam te. nu. 4.de rescrip.híncque contrà videtur, cùm Rex noster priuilegio à papæ etiam superioritate in temporalibus, quibus præest, sit exemptus, idem de eo cẽsendum in hac re, quod de papa, vulgato ca.per venerabilem.qui fil.sint le. vnde statim edicta ferens & omnia agens, quæ Regis sunt, & regem se ap-
4 pellans, visus † est à nobis illustrissimus Henricus rex noster simul ac pater eius Franciscus vita functus est. At quòd etiam electus & confirmatus, licet sacerdos, nondum tamen consecratus episcopus, non possit conferre indulgentias, quæ

ſunt epiſcopalis dignitatis,non iuriſdictionis, vel ordinis,tra didit Franciſcus Pauinus tracta. de poteſta.capi.& ſed.vacan. quęſtio.4.& in hoc pleraque Bertachinus tracta.de epiſc.lib. 3.6.2. & Ioannes Selua tracta.de benefic.par.j.q.2. particula 2.
5 Cæterùm Imperatoris † nomen,peculiare principibus Romanorum factum eſt,non quia odio haberetur appellatio Regis, vt vulgò traditum eſt ſolùm: ſed quia primùm Iulius Cæſar magnus belli Imperator exiſtens, & ita dictus, interim Monarchiam occupauit, Imperatoris nomen retinuit.& ita deinceps eam ob rem & occaſionem dicti ſunt Imperatores, qui poſt eum Monarchiam tenuerunt, non, inquam,ob Romanis regium nomen inuiſum. quandoquidem & in oratione Apollonij Tyanei habita ad Domitianum principem ter-
6 ribilem, & ſemper apud † Philoſtratum, Imperator, Romanus Rex dictus legatur. quanquàm & illud apertum eſſe videatur, Regium nomen Romanis inuiſum fuiſſe, & vel ob eam rem Cæſari primùm non placuiſſe ita appellari, & mutari nomen, quod habebat, quódque illud vir bellicoſiſsimus magnificentius, ne dicam terribilius nomen Imperatoris ſcilicet, atque ideò aptius Monarchiam auſpicanti, & commodius duceret, & quia nouum in ea re magis arrideret
7 viro nobiliſsimo, quàm ipſum † Regis nomen, flagitio Tarquinij deturpatum.odioſum ſanè etiam Græcis nomen,à nullis quippe vſurpatum niſi à Philippi & Alexandri poſteris. atq; ex Alexandri Ducibus Eumene viuente, nemo Regium nomen ſibi vendicauit, ſed præfecti appellari ſoliti ſunt, vt retulit Alexander ab Alexandro genial.die. libro quarto. capi.23. Porrò victoria, qua potitus eſt aduerſus Ptolemæum, elatus Antigonus, Regem ſe cum Demetrio filio appellari iuſsit.Idque exemplum omnes ſecuti,regium nomen ſibi, dignitatémque ſumpſerunt, vti ſcripſit Paulus Oroſius libro tertio. capi.vltimo.Simile autem ſcribitur à noſtris Docto-
8 ribus de Vicecancellario Romani pontificis: dictum † olim quidem Cancellarium, vt par erat: quia verò quidam id officium agens elatus nimiùm quaſi alter Lucifer de poteſtate cum Papa contenderit, amodo Vicecancellarios dictos eiuſmodi, qui anteà Cancellarij dicebantur: Cardinalis Zabarella in clementina ſecunda, de electione, vt docet

Coſma

Cosma Guimerius in Pragmaticæ Sanctionis tractatum de causis.§. Romanæ verò. Scholiastes regularum cancellariæ Aposto.in prooemium ipsarum.quanquàm contrà ibidem diligenter veritatem examinans ostēdit Gomesius q.j. Ex præ-
9 dictis verò iam etiam demum † adparet, quanquàm Imperatores ab imperando dicti sunt,vt Ioannes Platea habet in initium Institutionum, quomodo quoque reges à regendo, vt Augustinus scripsit de ciuitate Dei,lib.j.cap.12.eò tamen ventum esse:vt ea vox designet dignitatem præcellētem,& exercitium longè egregium,& non sufficere solum actum exercentis,verùm etiam habere ab alio dependere:vt notauit Bar. in inscriptionem Digest.& gener eius Ioannes Baptista lib.j. de arbitris,cap.2.Et Porcus ad inscrip.Instit.& Pan. in cap.j. col.fi.de iudic.idque communi quodam vsu loquendi,qui plerisque alijs in rebus maximè attenditur.l. librorum. §. quod tamen Cass.de leg.3.l.Labeo.de supellect.leg.ff. iuncto etiam cap.quanquàm.2.q.7.
1 *Cæsar.*) Primus † omniū,qui sunt Cæsares dicti, fuit prior natus Aphricanus Scipio, eóq; quòd matre mortua exectus fuerit, vti scribit Plinius lib.7. cap.9. Tradidit quoque Andreas Alciatus in l.etiam ea.ff.de verb. sig. Cæsarem propriè
2 dici,quisquis exciso ventre editus est.Porrò † verò Iulius Cæsar primus Imperatorum ita dictus est,ab eóque cæteri Imperatores plerique Cæsares sunt nūcupati, vt & diuus August. scripsit in lib.de ciuitate Dei.idq; nomen,vt Augusti, & Principis,& Imperatoris ab Senatu honoris gratia, vt videbatur primùm delatum, licet intelligere, ex eo quod aliqui retu-
3 lerunt autores. autor Spartianus, Aelium † Verum, primùm tantùm nomen Cæsaris accepisse, id est,nec principem aut Augustum fuisse.Refert Lampridius Alexandrum Seue-
4 rum † omnibus nominibus adornatum fuisse.quanquàm plerique negauerunt à Senatu Cæsarem appellatum, sed à militibus. Adque idem facit quod in Panegyrico Traiano dicto C. Plinius retulit de sororis vxorísque eius modestia in hæc verba: Obtulerat illis Senatus cognomen Augustarum, quod certatim deprecatæ sunt, quandiu appellationem patris patriæ tu recusasses. At etiam Alciatus in Annota. lib. 10. infrà, tractatu de excusa. artific. ait se didicisse

5 ex Ammiano † Marcellino, Cæſares dici, qui ab ipſo Au-
guſto, & Imperatore à ſenatu dicto planè Imperante, ad re-
gendam prouinciam aliquam cum Cæſaris honore tantùm
electi ſunt: deinceps tamen ſi illi ſuperuixerint, ſucceſſuri
in Imperio. Ad quod facit, quod in initium legis ſuperioris
6 ex Ammiani 27. retulimus. Dictus † autem Cæſar eſt Iulius,
primus Imperator, à perpulchra cæſarie: vt Faber noſter ad
principium Inſtitutionum ſcripſit. Cui [redacted] ſuffragatur
libro Chronicorum tertio, dicens ex ſententia receptiſsimo-
rum Grammaticorum Cæſaris vocabulum, à nomine Cæ-
ſaries deductum: quod præclaros & inſignes capillos ſigni-
ficat: & hinc primùm contigiſſe Iulijs etiam maioribus Iu-
lij Imperatoris, quòd vnus aut alter fortaſſe ex eo genere
inſignem capillum habuit. quemadmodum aiunt Regem
7 Francorum Clodium, † à promiſſo capillo, cognomento ca-
pillatum dictum: quod memorat Symphorianus medicus
in genealogia Francorum. Alij alias cauſas referunt, ob
quas dictus ſit vel dici potuit Cæſar. Alexander ab Ale-
8 xand. libro primo genialium † dierum, Cæſones dicti ſunt,
inquit, quòd cæſo matris vtero in lucem prodijſſent: ſicut
Cæſares: quod eſt Iuliorum familiæ cognomentum: vel
quòd cum cæſarie naſcerentur: quod quidem etiam ait
9 Pompeius: ſeu quòd auus Cæſaris elephantem † occiderat,
qui Punica lingua Cæſar dicitur. ſicque Spartianus in Vero,
qui primus Cæſar dictus eſt ab elephante, qui Maurorum
lingua Cæſar dicitur, in prȩlio cæſo putatur, vel quia mor-
tua matre ventre cæſo ſit natus, vel cum magnis crinibus,
vel item quòd oculis cæſijs, & vltra humanum morem vi-
guerit. Certè quæcunque illa, felix neceſsitas fuit, vnde
tam clarum & duraturum æternitate mundi nomen efflo-
ruit. atq; adnotat in methodo iuris præfat. Digeſt. Droſeus,
Romanos Imperatores, forſan Cæſares dictos, quòd gladio
Domini quem portant, malos cædere debeant, perinde Ae-
gypti Reges, Pharaones, hoc eſt vindices, quòd vindictam di-
uinam exequerentur. Quod adiuuant tradita à nobis ſupe-
riori conſtitutione, vbi diximus, peculiariter conuenire Im-
peratori, tutari eccleſiam. vnde & principem noſtrum, Cæ-
ſarem rectiſsimè dici poſſe conſequens eſt, cùm peculiaris
quoq

quoque defenſor Eccleſiæ videatur, vel quòd eiuſmodi eſſe conſueuit, vel quòd ipſi Eccleſiæ præcipuè ſit obſtrictus, ob plurima & magna ſibi à Deo, & illa impenſa priuilegia: de quibus infrà dicetur in vocem Francicus. ſed & Menradus Moltherus in Commenta. ad Alcimum Auitum, libro quin-
10 to, quantum ad rem attinet de Pharaone notauit, † nomen apud Aegyptios eſſe regiæ dignitatis, quemadmodum apud Romanos nomen Cæſaris: quod quidam ab Hebræo פרעה deducunt: quod ſignificat vltionem: quòd Regum ſit officium vlciſci ſcelera. & iterum, Aegypti reges Pharaones vocatos generali vocabulo, quemadmodum Romanorum reges, Cæſares: Romanorum pontifices, Papas. Cæterùm fuerunt alij quàm plurimi ante Iulium illum, Cæſares dicti, quos planiùs legit Viuis in Tranquilli Cæſarem.

1 *Flauius.*) Sunt & † plerique alij præter Iuſtinianum Flauij dicti. multos memorat Pomponius Iureconſultus in l.ſecunda. de orig.iur. ff. & item eius locum, qui eſt de Seruij auditoribus emendans, vnum ponit Pomponius hiſtoricus lib. de magiſtratibus Roma. capite, quo de Iuriſperitis agit, in hunc modum: E' Seruij diſciplina manauerunt Alphenus Varus, C. Flauius, A. Offilius, Titius Celſus, Aufidius Sura, Aufidius Namuſa, Flauius Priſcus, C. Atteius, Antiſtius Labeo primus, Publius Celſus. Et beatus Hieronymus in Lactantio, eius nominis Grammatici cuiuſdam meminit. & Tacitus libro ſecundo, atque vndecimo, militis Romani exercitus. & Blondus ac vetuſtior Vopiſcus hiſtorici notiſsimi ita dicti
2 ſunt. & ab ipſo † Iuſtiniano Beliſarius in autenti. vt præpon. nom. Impera. & idem in autenti. de iudic. §. vetus igitur. Flauianum quendam iudicem eligit. at & Flauianum oppidum memorat in fragmentis Cato. annotat quoque Achilles Chro-
3 nographus anno Domini, 587. Reges de nouo † Longobardis creatos, qui Flauij dici cœperunt. ſed & apud Iſidorum legitur in collectis Eccleſiæ concilijs, Conſtantinus Flauius, & Martianus Flauius, & cæteri Imperatores ibi pariter leguntur Flauij. apud Auguſtinum quoque in eius epiſtolæ exemplo, quod refert epiſto. 68. Conſtantinus Maximus, & Valerius Licinianus Licinius, Flauij appellantur. primi autē Imperatorum Veſpaſianus, Titus, & Domitianus Flauij dicti ſunt.

sícque inde Iosephus ex obsidione Hierosolymitana Romam
4 perductus saluus,& eorum † familia ob morum candorem & ingenij præstantiam, donatus. erat enim id familiæ nomen. vnde & Iustinianum ita dictum,quòd fuerit ex gente Flauia, planè docuit Anto.Nebrissen.in Lexico iuris. Et magis facit, vt vel hoc putemus, ne non sine nomine prorsus fuisse eum di camus,cùm omnium sententia, id,quod subsequitur,Iustinianus,à Iustino in adoptionem eius transiens, & imperium suscipiens acceperit. Vnde eo maximè & sæpe solo vsus est, vt in autenti.vt præpon.nom.Imper.quanquàm hîc & similibus locis,vbi vtraque hæc nomina exprimit, peruerso & inusitato Romanis ordine, id facit: nisi fortè Flauius, quod illi solum nomen erat, in prænomen versum, intelligatur: quod tamen in cognomen aliôquin propius erat vertendum, sícque postponendum, cùm nominis prioris vicem subeat adoptio-
5 nis nomen.nam in primis constat† Romanis multitudinis nominum vsum fuisse,ab Albanis & Sabinis deductum:vt docet Titus Probus in Epitome decimi libri Valerij Maximi. Fuerunt verò eis,liberis quidem, pręcipuè nobilioribus, vt plurimùm tria nomina. Vnde Ausonius in Grypho:Sunt, inquit, tria nomina nobiliorum. & aliquando fuit illis etiam quartum nomẽ,aut plura ei imputata. Etsi etiam,vt obseruat quodam loco Plutarchus, strenui plerique viri tertium nomen non habuerunt: & Caius Iurecõsultus peritissimus omnium, vt Nebrissensis scripsit,cuius consulta consultissima citantur quàm sæpissimè in Pandectarum libris,vno illo nomine illustris habetur,& hactenus ignoratum & minimè adhuc inuen tum certò quidem omnino, & si diligentissimè à multis per-
6 quisitum, aliud quodque eius nomen. sicut & Caius,† cuius meminit vt hospitis sui, & similium,beatus Paulus ad Romanos,& ad Corinthios: ad quem etiam scribit tertiam canonicam beatus Ioannes,vbi illum Corinthium, sícque Græcum, & Romanis exterum colligit Będa. sed ob id non ab re,id tan tùm nomen habuisse videtur. Certè, vt planè etiam scripsit Vetus autor P.Consentius, lib.de re grammatica, est prænomen, hoc est nomen proprium prænominatiuum. vt,Publius Sextus,& simile.quod vna aut paucis, nec omnibus eius nomi nis literis, ijsq; primis significatur,& à Græcis non obseruatur.

tur.quanquàm illis & cæteris exteris idem eſſe videtur,quod eis vnicum eſt,& nobis nunc proprium vulgò dicitur.etſi ali quando non eſt vnicum,ſed plura ſunt,quæ pro vno eiuſmodi habentur.eſt poſteà nomen , hoc eſt nomen proprium nominatiuum,quod indicat genus,vt,Cornelius.Cornelij enim
7 omnes in eo genere dicuntur,id quod † exteris,præcipuè Hebræis deſignatur circunlocutione,qua dicunt filium alterius, & nos nunc cognomẽ vulgò vocamus. Eſt tertiò cognomen, hoc eſt nomen proprium cognominatiuum , quo quis appellatur:vt,Scipio, & ſimile , ſi quid tale eueniat , illi cui euenit primùm veluti prænomen proprium,propriè quod dicemus agnomen,Dein magis ad quandam ſpecialiorem familiæ demonſtrationem. ſicut quodammodo exteris & nobis nunc
8 vulgò originis loci appellatio exiſtit.eſt tandem † agnomen, hoc eſt nomen proprium agnominatiuum , quod imponitur aut ab animo,vt,Pius:aut à corpore,vt,Pulcher. aut extrinſecus,vt,Africanus.Si quid ſuper hoc additum fuerit , vt ſi addas,Aemilianum,aut,Numantinum,aut,ſcilicet ſimili modo quicquam eueniens , vt in Euſebio appellatio Pamphili , ob Pamphili martyris amicitiam , ſed & profeſsionis , & ordinis,& honoris,agnomini applicabitur , vt inquit ille. Porrò
9 † moris olim fuit , vt qui adoptarentur,nomen eius familiæ, ſcilicet in quam adoptarentur , acciperent : & nihilominus ſuum retinerent,quo etiam vterentur , cùm vellent , illi pro
10 cognomine poſtponentes.ac ita,qui†olim hæredes teſtamento fiebant, in nomẽ familiámq; teſtatoris adoptabantur.nec-
11 † non ſerui , cùm manumittebantur , in nomen ac familiam patronorum tranſibant:vt latè docuerunt Politianus Miſcellaneorum cap.31.& Alciat.lib.diſp.4.cap.j.in quo & facit in adnota. Taciti lib.12.& latiùs doctiſsimi eius diſcipuli Zuichemus Friſius in tractatu Inſtitutionum de exhæred. liber. & Auguſtinus Hiſpanus emendationum &opinio.lib .3. c.8.
12 Verùm † apud nos neque manumiſsione, cùm nulla ſit ſeruitus , neque teſtamentaria aut alia adoptione nomen alterius
13 aſſumitur,niſi quidem in†monachiſmo,in quo tantùm adoptio permittitur: vt notat quidem Droſeus in accommodationibus titulorum de ſtatu hominum.ff. ſícque familiæ nomen poſtremo loco aſſumitur:Franciſcus Georgius,franciſcanus:

nus:Ioachimus Perionius,Benedictinus.Lancelotus autem Politus cùm religioni dominicanæ se dedit, ordinem veterem curiosiùs obseruans imitatus videtur, quod esset concinnius omnino simul amplexus,cùm vbi erat,Lancelotus,veluti indigno prænomini dignum substituit:Ambrosius, & vbi,Politus,nomen erat, familiæ scilicet, Catharinus,apposuit,opinor quòd Catharina Senensis,vnde & ei origo est, eius religionis diua sit,& illi,Politus,ceu cognomen aptissimè postposuit.Cæterũ de adoptione Ben.ad.c.Ray.de testa.& Tiraquell.ad l.si vnquam.de re.don.infrà.

1 *Alemanicus.*) Hoc, † vt cætera nomina ab appellationibus gentium deuictarum sumpta tradunt. Hincq; notat Droseus ineptum non esse huiusmodi publicis & perpetuis epistolis inscriptiones existere plurimis titulis prolixas.primùm autẽ diabolus,à deuicto homine homo dictus notatur in cap. 2 de elec.per Paul.Lign.in additionibus tractatus proaui eius Ioã

2 nis Lignani de bello.cap.4.primúmque omnium † Scipionẽ ferunt,victæ à se gẽtis nomine nobilitatum, dictúmque Africanum. id quod docet Titus Liuius lib.30. Sicq; P.Seruilium primum Romanorum,qui per Taurum duxerunt exercitũ, ab Isauricis bello fractis, & in deditionem receptis,Isauricũ

3 dictum, retulit Orosius lib. 5. itaque Saulus † imprimis dictus,Apostolus,à deuicto in Christo proconsule Paulo appellatus est Paulus : vt Hierony.tradidit. Porrò prodit Spartianus in Caracalla,eum Cæsarem, Seuerúmque à Parthis Parthicos dictos,& similiter plerosque alios, item eundem Caracallam cùm Germanicos subegisset,Germanicum se appellasse,vel iocò,vel seriò,vt erat stultus & demens, asseruisséq; si Lucanos vicisset,Lucanicum se appellandum:& quòd Getam fratrem occidisset,filius Pertinacis per iocum , vt Geticus etiam diceretur,adhortatus est.Aurelianus quoque Got-

4 thicus † Sarmaticus,Armenicus,& Parthicus,& Adrianicus, & Carpicus dictus est, teste Vopisco.& quidem scripserunt Paulus Diaconus lib.18.& Annonius lib.3. ca.8. Iustinianum ipsum meruisse habere propter victorias hæc nomina , vt Alemanicus,Gotthicus,Alanicus, Vuandalicus,Africanúsq; diceretur. atque multa in hac re legit Alexander genialiographus,.lib.2. cap. 7.&.11. Cæterùm videtur dici oportere,

hanc

5 hanc vocem vel quæ infrà eſt, Germanicus, abundare:†quo-
niam ijdem populi, ſiue Germani, ſiue Alemani videantur:
quandò & Garman,ſeu German,Teutonorum lingua, pror-
ſus,Aleman,verò,totus vir dicitur.Vnde etiam docti pleriq;
6 hallucinati ſunt, tradentes Germanos dictos, † quòd tan-
quàm fratres Gallorum eſſent, cùm tamen dicti ſint ita,
quòd egregios viros præſtiterint ab ea voce merè Teutoni-
ca,ex particula,Gar,ſeu,Ger,quod totum ſeu robuſtũ ſigni-
7 ficat,vnde † & Caroli nomen venit, & Man, quod vir dici-
tur,conflata,vt docet quidem beatus Rhenanus in adno.Cor
nelij Taciti,& nonnulli alij.Aut ſanè etiam dici Iuſtinianũ
putabimus Alemanicũ,à Germanis, qui Alemani peculiari-
8 ter dicũtur,ſũntque ſuperiores, hodie dicti Sueui,† quorum
gens eſt longè maxima & bellicoſiſsima cæterorum Germa-
norum omnium, vt Cæſar teſtatur lib. 4. de bello Gallico.
vnde & Alemanos vocat Truces Sidonius in Panegyrico ma
ior.& feroces in Panegyri ſoceri.ſũntq; qui Heluetij, ſeu Sui
tẽſes,& qui Bauari appellãtur,qui ab Imperio deſciuerãt, &
9 Francis ſubditi ſunt temporibus†Pipini:vt docet Carion lib.
Chronic.3.de quibus multa Thomas Leodius,& cæteri Ger-
manicarum rerum ſcriptores,ipſéque Agathias, lib.j. docet
ex Aſino quadrato alios habitos Alemannos à Germanis:
quippe qui ſint aduentitij,& ex varia hominum colluuie cõ-
flati,vt & ipſorum cognomento præfertur. & ipſos iunctos
Sueuis Iornandes ſcribit lib. rerum Geticarum. Dixerit etiã
aliquis Iuſtinianum ita dictum à deuictis populis ad Lema-
num lacum habitantibus,cuius Ammianus quoque meminit
10 lib.15.eſt & Beroſo Babylonico † quidam princeps Celtarũ,
Hercules Alemanus,& Manethoni item nomine,Lemannus.
1 *Francicus.*) Equidem† Francicus dictus eſt, vt qui Francos
vicerit Probus Imperator,vt Vopiſcus ſcripſit.ſicque hîc &
ſimilibus locis ſcilicet Iuſtinianum,quia Francos viciſſet,di-
ctum Perrinus tradidit in vita ipſius Iuſtiniani. Quanquã
Alciatus lib.diſpunc.2.cap. 22. dicit Iuſtinianum id nomen
ſibi vſurpaſſe tantùm, quòd ſuſpicatus ſit Theudibertum
Regem Francorum,cùm in Italiam numeroſo cum exercitu
veniſſet, & Iuſtiniani duces Gothóſque ſimul profligaſſet,
minimè propoſiti tenacem,retroceſsiſſe in Galliam metu du

2 cũ suorũ. Quinimo † videtur Iustinianus ita dictus, quòd Frã
ci ipsi postquàm aduersus Totilam vnà cum Romanis pugna
uerunt, coniunctissimi semper Cæsaribus fuerunt, & cum ijs
Iustinianus ipse pacis & amicitiæ leges contraxit, permisitq;
vltrò eos Galliç partem tenere, vt Carion Mathematicus re-
tulit in suis Chronicis. Cæterùm, Francorum nomen, impri-
mis adepti sunt Reges, ac Galliæ populi, siue à Franco Hecto
ris Troiani filio, qui post Troiæ excidium in Pannoniam
primùm & Germaniam, demúmq; in Galliam peruenit, siue
3 ipse, siue posteri eius; quem alij Francionem † dicunt, quod
tam grauissimi quàm vulgares recentiorum temporum auto
res plerique docuerunt, in quibus est Cosma Guimerius ad
principium pragmaticæ sanctionis. Nicolaus Bertrandus in
additamento lib. de gestis rebus Tolos. Ioannes Laziardus,
Cælestinus in Epitome vniuersalis historiæ, lib. 3. cap. j. Sym-
phorianus Champerius in trophæis Gallorum, Perbonus
marchio lib. ouiliarum primo, & 4. Philelphus lib. epistol.
8. Verùm vana hæc, & mera commenta fortè quis arbitrabi-
tur, cùm iam vnicuique nobilitatem generis ex ipsa vetustate
quærenti, non modò ex Troiæ vrbis excidio, sed etiam ex
turri Babylonica, ac ex arca Noë ipsóque delitiarum paradi
so, primísque parentibus, & ab vtero Euæ, vnde omnes egres-
si sumus, facilè sibi principia deducere liceat: vt in Bohemo-
4 rum origine inquit Syluius. Et cùm, vt ipse quadam † ad Leo
nardum Aretinum epistola Philelphus, ac iam olim Cato,
Plinius, Lactantius, & alij grauissimi autores nostri testati
sunt, magna sit Græcorũ nedum Poëtarum, verùm etiam cæ
terorum autorum in mentiendo vanitas ac leuitas. Vnde &
5 Dion Græcus, † cognominatus Chrysostomus, vnus suis nõ
parcens, tot Gręcis autoribus, & tandiu decãtatam Ilij capti-
uitatem, non fuisse docuit integro libro, magnis argumentis
omnino. Ex quo ne Romanis quidem iactata origo subsi-
stit, qui à profugo Aenea in Italiã, ortos se aiunt, & Aenea-
das vocant: autem, vt præpo. nomen imper. At vix est, vt quod
à plerisque omnibus dicitur, falsum sit. & pulchrum sanè,
validúsque ad virtutem stimulus illustres habuisse maiores.
6 & certè † Manetho antiquissimus historicus, quippe qui
trecentis & multis item annis ante Christum natum, fuit,
in

in ſupplementis Beroſi Chaldaici.Ipſe etiam ſcripſit,tempore quo Aſcanius Latinis imperabat, Francum ex Hectoris Troiani filijs Celtis imperare cœpiſſe. Tametſi etiam Raphaël Volaterranus in ſua Geographia, commentariorum libro 3.ait,Ab Hectoris filio dictos Francos,ſe non legiſſe apud aliquem veterem autorem,cùm vetuſtior,qui de Francis mē-
7 tionem† fecit, Germanis anteà dictis, ſit Agathias, qui circa tempora Iuſtiniani ſcripſit,& is quidē nihil aliud dicit,quàm Francos dictos à Franconia, ex qua viri migrarunt primùm in hanc Franciam. ſed vide ipſum Agathiam ac Procopium belli Gothici lib. j. & quidem Franconum vetuſtum nomen eſt, quorum meminit Cicero in epiſtolis. Et quidam alij eorum prouinciam non Franconiam,ſed Franciam,vt noſtram Parrhiſiorum,vocatam perhibuerunt, vt D.Hieronymus in vita Hilarionis inquiens: Inter Saxones quippe & Alemanos gens eius non tam lata,quàm valida, apud hiſtoricos Germania, nunc verò Francia vocatur. ſicque inde & noſtri orti ac dicti videntur pluribus. Platina in Adriano primo, ex Franconia prouincia Francos nomen ſumpſiſſe ſcribit. & Coccius Sabellicus hiſtoriarum lib. 63. gentem Germanorum in Gallia Francos ſe à Franconia dixiſſe Germaniæ parte, vnde aliquot ante annos fuerant profecti: & ſimiliter Marlianus ad Cæſaris commentaria, Chronicon Carionis, Balbi epiſcopi tractatus de coronatione, cap. 16. habent: Porrò Trithemius
8 annalium Francorum lib.j. ex Hunibaldo† Germanico hiſtorico docet, Francos dictos,qui anteà Sicambri dicebantur, ex Antharij regis filio maiore natu, decimoſeptimo rege,nomine Franco, ante natiuitatem Chriſti anno nono. Item, verò Ioan.Bohemus lib.hiſtoriæ ſuæ tertio,cap.15.ait,Franconiam ſiue Franciam orientalis Germaniæ partem,& ferè meditullium, à Sicambris, quibus Valentiniani Cæſaris tempore ob Alanos deuictos,Francorum nomen contigit, appellatam. quod latiùs tradunt Papa Pius in deſcriptione Europæ, cap. 34.& Annonius libro primo,cap.primo. ob ídque forte dixit Auſonius in Moſella:

Accedent vires,quas Francia, quáſque Chamanes
Germaníque tremant:tunc verus habebere limes.

9 At conſtat † primùm Galliam dictam,& Gallos, à progenie

Iaphet Noë filij nomine Gomero, vt sacra Genesis habet, cap. 10. cognominato Gallo, vt vult Berosus Chaldaicus in sua historia. Sunt & qui putarint ipsos primùm Gallos à Græcis originem habuisse, paucis post excidium Troiæ fugitātibus, & vbique dispersis, & Græco sermone Gallos ceu lacteos & candidos dictos. quod docent Ammianus lib. 15. & Xenophō in æquiuocis. vnde & Baptista Mātuanus in Dionysio Areopagita lib. 2. incipiens describere mores & naturam communem Gallorum, ita canit:

Ignea mens Gallis, & lactea corpora nomen.

Nec ab re Paulus Orosius lib. 5. cap. 16. refert in bello gesto à
10 Romanis duce Mario † contra Teutones, Cimbros, & Tigurinos, & Ambrones, iuxta Isaram Rhodanúmque flumina, in secundo conflictu, incalescente sole fluxa Gallorum corpora, in modum niuis distabuisse. Sícque ait Eutropius lib. 3. Gallorum animos feroces quidem, sed experimento deprehensum esse post primum bellum Punicum, quòd virtus eorum, sicut primo impetu maior, quàm virorum est, ita sequens minor, quàm fœminarum, Alpina corpora humenti cęlo educa
11 ta habere quosdam similia niuibus suis, cùm mox calore † pugnæ statim sudorem emittant, & leui motu quasi calefaciente sole laxentur. itaque illis exprobratum inuenimus ignem paleæ esse. quod & verum est, vt in omnibus, si temerè omnino ardori suo indulgeant. se enim ipse ita consumit: quo-
12 niam vtique † omnis agens, in agendo repatitur. At si quando non omnino modum despiciant, & vel non imprudenti duce vtantur, ignem videntur habere potiùs Græcum dictum &
13 perdurantem. insuper symmetriam & † mores Gallorum latè depinxit Ammianus prædicto libro. & attigit Cl. Claudianus panegyri. prima in laudes Stiliconis, vbi ait:

Tùm flaua repexo Gallia crine ferox.

Ait verò etiam Vopiscus in Probo Imperatore, Francis familiare esse ridendo fidem frangere. Contrà verò, Cicero Gal-
14 lorum virtutem, constantiam, grauitatem † celebrat Philippica 3. vt non ineptum sit quod à plerisque dicitur, Francos quodammodo nuncupatos non tantùm quia feroces sint: verùm etiam nobiles, fideles, simplices, aperti. Nec obest, quòd aliquando cùm Romani ad Gallos exorandos legatos misissent,

sent,

ſent, ipſos interfecerint: cùm tum bello aduerſus ipſos Romanos Samnitibus opem ferrent, quibus fidem datam anteà fregerant Romani, vt hæc latiùs docet Paulus Oroſ. libr. tertio. capi. 15. & 22. at & Petrus Aponenſis in Problemata Ariſto-
15 telis † ait, Gallos pueros ſapientes videri, deinde adoleſcentes inſanire, cùm primùm in capitibus eorum rotundis humidum ſuperet, deinde ſuperetur à calido. vnde & deſpiciuntur à ſuis, vt conqueritur Vulteius quodam epigrammate in hunc modum:

Quæ ſua ſunt, aliæ gentes mirantur & ornant:
Nos fatuos famulos Gallia noſtra putat.

Sed certè cùm efferbuit ille calor, ſæpiſsimè magni viri eua-
16 dunt. & ſunt haud dubiè Galli † magno ingenio & acumine iudicij prædit. Itaq; paſsim ab Italis Iuriſperitis noſtri ſubtiles appellantur. & nouiſsimè cecinit de Igneo Mopha:

Igneus extinctos Gallorum ſuſcitat ignes,
Doctrina certè magnus & ingenio.

Et iam olim excellentia apud Gallos literarum ſtudia narrantur, & memorantur ab Cice. ipſo, Hieronymóque quodam loco, & à multis illuſtriſsimi plerique in literis viri. quin ab his ferè Romani Latinè didicerunt. quanquàm ait Cicero in li-
17 bro, qui Brutus inſcribitur, non † tam præclarum eſſe, ſcire Latinè, quàm turpe neſcire: neque tam oratoris boni, quàm
18 ciuis Romani proprium videri. L. enim Plotius † gallus primùm Latinè docere cœpit Romæ, Cicerone ipſo puero: & cùm ad illum fieret concurſus, & ſtudioſiſsimus quiſque apud eum exerceretur, ait Cicero, ſibi, quia idem non liceret, doluiſſe. Continebatur enim doctiſsimorum hominum autoritate, qui exiſtimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia poſſe, vti ſcribit ad Licinium. & commeminit Suetonius libro de claris Rhetoribus. Quòd autem & Græ-
19 cam linguam maximè calluerint, † vel ex Cæſare & Strabone non eſt ignotum. Vnde amatores Græcorum dicebantur. & eius ſermonis veſtigia ac proprietates etiamnum referunt retinéntq; infinitæ voces ac phraſes vulgares, vt à Budæo, & Poſtello alíſque demonſtratum eſt, & prætereà vnicuique ſtudioſo paſsim animaduertere licet. & tradidit latè Longolius in oratione, quam Pictaui de laudibus beati Ludouici

habuit,Francos armis, religione, eruditione Romanis longè præstitisse.scripsítque corn.Scepperus assertionis fidei lib.5.
20 cap.11.Franciæ † Reges magis de Christo meritos, quàm reliquorum ferè omnium vnam congeriem.Maximę profectò vbique laudes Francorum extant in historijs, cùm propter singularem prudentiam & felicitatem in regni gubernatione,tum verò quòd in initio sui regni Christianæ religionis doctrinam amplexi sunt, eámque propagare voluerunt, inquit Carion.& iam olim primùm in minimè vera religione,cùm veram ignorarent, admodùm studiosi fuisse tradun-
21 tur,sacris plurimum deferentes rebus ac hominibus: † quippe quibus & belli & tributorum, & breuiter omnium rerũ immunitas erat: vt docuit Iulius Cæsar belli Gallici lib.6. vnde & Annonius in principio suæ historiæ:Natio,inquit, omniũ Gallorum dedita religionibus, non immeritò domina euasit multarum nationum, dum non diu passa est semet idololatriæ addici dæmonũ.nam creatori potius,quàm creaturæ subdi rectius ducens, ipsa sui primordia regni Christo auspice cœpta,cultui ipsius dedicare maluit.Hinc ad altiora se subrigens catholicæ fidei norma ardentiùs vsa,desiderio ea cum regni terminis,vt dilataretur, ardenti effecit. vnde bea-
22 tus Gregorius † lib.epis.5. ad Childebertum Regem Francorum,iam olim ita scripsisse reperitur: Quantò cæteros homines regia dignitas antecellit,tantò cæterarum gẽtium regna regni Francorum culmen excellit.Esse Regem,quia sunt & alij,non mirum est,sed esse catholicum, quo alij non merentur,hoc satis est.sicut enim magnæ lampadis splendor, in tetrę noctis obscuritate,luminis sui claritate, fulgescit:ita fidei vestræ charitas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat.Quicquid autem Reges cæteri gloriãtur habere,habetis:sed ipsi principale bonum non habent, quod habetis.Id & Agathias prædicto lib.inter cæteras Francorũ cumulatissimas laudes exprimit,eos esse christianos,& rectissimę inter cæteros omnes opinionis.atque Paul. Aemilius in Martello,scribit Franciam, etiam antequàm Christiana effi
23 ceretur,nunquàm † Christiani hominis hostem extitisse:dubium an vlli alij genti vsu venerit:& semel veram pietatem professam, nullum hæresis monstrum genuisse, & primam omnium

omnium

omnium pro religione, non votis tantùm, sanctitatéque, sed armis, exercitu, periculóque capitis sui, cum Christi hostibus signa contulisse, Arrianorúmque potentissimum ac ferocissimum regem in acie occidisse, exemplúmque pietatis virtute tuendæ mortalibus præbuisse: vt quicquid deinde sanctæ æmulationis apud exteras gentes extitit, id omne illi vni ac-

24 cepto sit ferendum. Sed & Philelphus lib. epistol, 9. tradit † solos Francos, solos Francorum Principes, ac Reges in omni Christianorum numero, ausos esse Christianæ vtilitati semper, & dignitati consulere. Et inde est, quod à multis notatur, ab Agarenis & Turcis, & eiusmodi Christianæ religionis hostibus Asiaticis, scilicet, Francorum nomine dictos Christianos omnes, ob singularem Francorum virtutem, quam sæpe primúmque experti sunt. quod per prophetiam induxit libro secundo, Dionysij Areopagitæ Mantuanus vates illustris ita canens:

-Francos
Christigenas omnes tellus Asiatica dicet.
Sic Iudæa tribus, quia gens animosior, armis
Illustrata, alijs tribubus cognomina fecit.

Nec id mirum est, cùm iam primùm & semper animosi fuerint & fortes haud dubiè admodùm. Vnde inter alias laudes Gallorum maximas, & rarissimas, hanc illis tribuit Mantuanus in exhortatione ad Insubres, dicens:

Cæsar, vt edomuit Gallos, domuisse putauit
Se totum terrarum orbem: quia cuncta videbat
Cætera, si ad Gallos spectes, imbellia regna.

25 Et licet, vt est semper sors & euentus varius belli, † aliquando victi sint, sæpius tamen vicerunt ipsos etiam Romanos, & Romam captam incensámque tenuerunt, ac vendiderunt: & quotiescunq; exarserunt totis opibus suis, Roma detrita est, vt habet Orosius lib. 3. capi. 1. & 22. & item Annonius in præfatione sua cap. 9. In quo & libro j. supradicto cap. j. ac cap. 3. Illúdque dignum omnino visum, vt exprimatur, quod ait Sallustius in Iugurtha: Romanos sic habuisse, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certari. Itaque cecinit Claudianus de bello Gildonico:

- Sciat orbis eous,
Sítque palam, Gallos causa, non robore vinci.

Sed

Sed admirandum maximè & dignis præconijs euehendum,
quòd eam virtutem Deo & eius cauſæ accōmodauerint, tam
ſtudioſè, vt ſupra omnes gentes euaſerint decorati. Et in pri-
mis ſingulari priuilegio contigit illis manifeſta Regni adpro
26 batio,† ex oleo, quod ad vngendum Francorum reges in am-
pulla per columbam de cælo diuinitus miſſum eſt, ſancto pō-
tifici Rhemigio. quod etiam exprimitur in oratione, quæ ſu-
ſcepta ampulla de manibus abbatis ſancti Dionyſij ab Archi-
epiſcopo Rhemenſi, dicitur, quæ habetur in libello, qui de
conſecratione & coronatione Regis Francorum inſcriptus
eſt. & memoratur in hiſtoria Longobardica cap. 16. & apud
Annonium lib. 1. cap. 16. & in additamentis eius, lib. 5. cap. 50.
27 & alibi ſæpe. & item† liliorum ſimili de cælo datione, quibus
pro inſignibus deinceps Francorum reges vterentur, cùm an-
teà tribus diadematibus rubris in alba parma depictis vſus eſ-
ſet Clodoueus, vt Aemilius habet. De quibus latiſsimè Ludo-
uicus Viualdus in opere regali, tractatu ſpeciali, de laudibus
& triumphis trium liliorum. & Ioannes Gerſon ſimili quo-
dam libello. meminit etiam, & laudat, ac præclarè appoſitéq;
declarat Petrus Cara in oratione ad Carolum octauum Fran
ciæ regem. & alij alibi. Hanc tam magnam & multam Fran-
corum principum felicitatem, conſecuta eſt ſemper inimico-
rum diuina ſubactio. Vnde Vincentius Cygaud, tractatu de
bello Italico, capite regali: Deus, inquit, eſt præſidens, & pro
victoria Gallorum gladium portat. Nec ab re eſt, inter cæte-
28 ra multa ſimilia, quod retulit Perbonus † Marchio lib. oui-
liarum j. cùm Rex Franciæ Robertus Hugonis filius, eſſet in
cuiuſdam oppidi obſidione, irruptione hoſtium nūtiata, non
priùs occurriſſe, quàm ceptas horas, hoc eſt preces ſtatis horis
fundi ſolitas, abſoluiſſet: ex eóque tantum abfuiſſe, vt hoſtes
minùs ſuperaret, vt corruentibus muris oppido potitus ſit.
De quo & Platina meminit in Gregorio v. & Paulus Aemi-
29 lius rerū à Francis geſtarum lib. 3. Præterea, acceſsit† Francis
principibus vnicè ſtupendum continuum miraculorum do-
num: cùm, vt palàm factum eſt ſemper, & fit quotidie, ſolo ta-
ctu eos perſanent, quos ſtrumæ malè habent, etiamſi aliquan
do fortè praui ſint ipſi reges, ex natura doni ſcilicet, quod di-
citur, gratia gratis data, vt expreſsit Franciſ. Aretinus in cap.

venerab

30 venerabili.2.not.de testi.vnde† morbus regis vulgò vocatur, haud dubiè alius à morbo regio Latinis dicto: quem vt diuersum à strumis omnino tractant Celsus, Aegineta, & alij medici: ita quoque vicarius Dei in terris papa Stephanus eius nominis secundus, Pipino patri Caroli maximi eiúsque posteritati benedixit, ac quos temeritas aliqua ad mouendum bellum aduersus Francos impelleret, communione priuauit, quod refert Symphorianus in suis Additamentis. & multis queritur pax apud Erasmum, aduersus eos, qui Christianissimo sanguini atque dignissimo omnium regno Francico inferunt bellum. Sunt & alia ipsis regibus Francorum præstantissima beneficia: quæ & Scholiastes pragmaticæ sanctionis, literis mandauit in principio. Igneus quoque in illa sua disputatione, an rex Franciæ recog. superio. & Bartholo. Chassa. in catalogo gloriæ mundi, par.5. & Selua tractat.de benefic. par.2.q.23.& noster à Grassalio lib.j.regalio.& Feraldus in insignibus regis Franciæ. Id autem maximum est, & admodùm singulare, quod expressit Innocentius 3. in c. per venerabilē.

31 qui filij sint legitimi. Regem Franciæ † neminem in temporalibus agnoscere superiorem, nullius superioritate seculari teneri, nulli ditioni profanæ subijci, causámque expressim notauit Gulielmus Monserratus in cōmentarijs pragmaticæ sanctio.4.par. in principio, dicens: Propter Christianissimorum Frācorum regum merita præclara, tum propter regnicolarum puritatem & deuotionis simplicitatem, regem Frāciæ, & ipsum regnum, ac eius incolas non esse immediatè vel mediatè subiectos ecclesiæ Romanæ. non autem scilicet id priuilegium concessum est tantùm ob probitatem Caroli: vt Platea scripsit ad inscriptionem Institutionum. quanquàm vtiq; Carolus ille multis præstiterit & ingenij mira perspicacitate, & literarum scientia, tum eloquentia, sed & religione, probitate, fortitudine, vt fusè docet Carion in suo Chronico. & de publicis gymnasijs, quæ construxit, meminit Za-

32 barel.in cle.j.de magis. Et eius dicendi copiam, † ac bonarum artium disciplinam celebrat Donatus Acciaiolus in eius vita, & Albertus Kranthz in Saxonum historia, lib.j.cap.7.& retulit Ekius in Enchiridio aduersus Lutheranos, tit.de imaginibus Crucis & Sanctorum, Carolum magnum quatuor

O libros

libros scripsisse contra volentes tollere imagines. Denique Petrarcha de vita solitaria, libro 2.tracta.3.cap.15. ipsum plerisque annis in religiosorum cœnobijs vitam egisse solitariam & finiuisse.deque eo prædictum intelligitur Apocalyp. 7. vbi habetur; Et vidi alterum Angelum. vt quibusdam visum est: & cap.16. Intelligitur Solis nomine: quoniam sicut Sol claritate præstat cæteris stellis: ita ipse fide & magnanimitate super Reges alios refulsit. De quo etiam dictum in psal.47. quoniam ecce reges terræ congregati sunt, conuenerunt in vnum. vbi sanctus Thomas inquit: hi reges terræ fuerunt Constantinus, Iustinianus, Carolus Magnus, qui ecclesiam firmauerunt priuilegijs. Attamen scio multos esse, qui id quod diximus ex Innocentio tertio, dictum ab eo interpreten-
33 tur facto, non iure, quanquã constat,† verba quæ possunt intelligi vera esse iure & facto, in dubio iure obtinere, non facto intelligi: vt not. in cap. à nobis, de cleri. pereg. & Innocen. 4. in ipsum prædic. cap. per venerabilem. verbo, recognoscat. conuenienter ita scripsit: nam de iure subest Imperatori Romano, vt quidam dicunt: nos contrà: imò Papæ. & in hoc latè
34 Ioan. Igne. prædic. disput. Cæterùm,† quod dicit Innocentius quartus, & videtur in clemen. vnam sanctam. de maio. & obedi. Francorum regem subesse Papæ. In spiritualibus intelligitur, non in temporalibus. In quibus nulli, ac ne ipsi quidem Papæ subest, magno illo priuilegio, vt & declaratur extrauaganti, meruit, de priuileg. & item in ipso capi. per venerabilem. vbi habetur; In eo se iurisdictioni nostræ subijcere potuit: quemadmodum scilicet & inferioris iurisdictioni: iuxta l. est receptum. de iurisd. om. iudic. ff. idque, vt prædictum est, asseruit Monserratus. & defendit Ioan. Igneus præd. disput. in secunda par. & notat Ioan. Ruge in l. j. circa fin. de testa. ff. & Aufre. in repe. cle. j. nu. 57. de offi. ordi. & voluit glos. in extrauagan. prodiens. Ioan. 22. de crimi. falsi, qua in re maior est rex
35 Imperatore: qui quidem† Papæ etiam in temporalibus subest, potéstq; ab eo iudicari; vt post magnam disputationem, cum Aegidio Bellamera concludit Cardin. Alexan. in cap. cùm ad
36 verum. 63. distin. Atque† ideò Rex noster videtur bellum mouere posse, non item Imperator: cùm is tantùm qui superiorẽ non agnoscit, bellum mouere possit: vt tradit P. Montius de singul-

ſingulari certamine.lib.2. cap.3. idque ſcilicet nedum in ſubditos ſuos contumaces ac rebelles, verùm etiam in alios,atq; ipſum Imperatorem,ſi modò nolit aut non poſsit papa iuſtitia frænare ipſos, & cogere ad id, quod iuſtum eſt exequendum.ipſi verò illud nequeunt,niſi papæ cauſa belli adprobetur,ac ſic ipſum permittatur:iuxta c.quid culpatur.23.q.j. & alia vulgata traditáque à Summiſtis. Quanquàm fatendum
37 eſt aliôquin Imperatorem primum † eſſe regum cæterorum & dignitate & autoritate,ſicuti ſcripſit Leo decimus lib.10. epiſ.6.quoniam,vt ibi denotatur & nos docuimus ad principium proximè ſuperioris conſtitutionis,Reipu. Chriſtianæ plus cæteris debet.& regula iuris eſt,qui ſentit onus, ſentire & commodum debere.Itaque,ſi vniuerſa conferas, pari ho-
38 nore iure dignantur † Imperator & Rex noſter. qui ſi aliquando eſt Imperator, ſcilicet vt maximè omnium mereatur, facilè omnes prorſus antecellit. Intereà verò omnium ampliſsimus nobiliſsimúſque & máximus regum, ſæpiſsimè dicitur ab ipſo etiam pontifice maximo Leone. Et ſanè demum maximum eſt regni huius priuilegium, quod ait Hierony.Perbonus lib. ouiliarum quarto, impoſsibile eſſe quin hoc regnum ſit omnibus imperaturum.Hoc eſt quod refert conuenienter ex tributo quodam Auguſtino tractatu de Antichriſto,quem & cuique requirere, & inuenire licet, Ioan. Neuizanus in ſylua nuptiali. & attigit Baptiſta Mantuanus lib.5.de ſacris diebus,ex oraculis, & planiſsimè poſuit in ex-
39 hortatione ad Inſubres. & † memorat Helena auia Dauidis pretioſi Ioannis Aethiopiæ principis,in epiſtola ad Emanuelem Luſitanorum regem.habetúrque lib. j. operis reuelationum, quod inſcribitur, Mirabilis liber.atque cùm alia tùm hoc ipſum inſigne Galliæ diuinum donum excellenter docet multis voluminibus Phœnix noſtri ſeculi longè præſtatiſsimus Guliel.Poſtellus.quẽ nedum legere,verumetiam videre,& couenire familiariùs, Pariſijs nuper,cùm ex aula rediremus, nobis contigit magna cum voluptate.

Lex unica.



Ordi nobis est, Patres conscripti.) Constat Romulum vrbis conditorem, centum numero elegisse,
1 † quos ob honorem ac curæ similitudinem patres, ob ætatem Senatores appellauit: sicque senes apud Lacedæmones appellatos, qui amplissimū magistratum gerebant. & haud dubiè eorum consilio omnia egit Romulus, & numerum duplicauit Tarquinius Priscus, vt etiam retulit Eutropius rerum à Romanis gestarum lib. j. testatúrque Blondus de Roma triumphante, lib. 3. Patres ab honore, & senatores ab ætate dictos, Idque Naso in Fastis lib. quinto, ita cecinit;

Romulus hoc vidit: delectáque corpora patres
Dixit ad hos vrbis summa relata noua est,
Nomen & ætatis mite senatus habet,

Neque Doctores nostri ignorauerunt, dictos patres, ob similitudinem curæ, vt Cynus in l. j. infrà de caduc. toll. Nicolaus Boërius in additionibus ad Ioan. Montanum in tract. de præemi. sacri consil. vbi pro consilio Parlamentario agit. & facit Marti. Lauden. tracta. de consiliarijs Principum, nume. penul. nesciuisse tamen videntur, vnde conscripti dicti sint. quod etiam vel ex tributo Fenestellæ libello in promptu est. Con-
2 scripti, inquit, dicti sunt, † quoniam cùm exactis regibus Brutus consul exhaustum bonis viris Senatum videret, primores equestris ordinis adscribi in senatores operam dedit, illósque conscriptos patres appellauit. Ex quo tempore cōscriptorum appellatio, vsurpata est. & ita dicti sunt, qui regum, consulum censorúmve decreto in Senatum lecti sunt, qui & multitudinis patroni, id est defensores, & à peregrinis principes in ciuitate dicti sunt, vti scripsit Pomponius Lætus in suo de magistratibus Romanis tractatu, cap. 3. sed & maiores olim dictos, P. Ouidius adnuit, prædictis subiungens;

Hinc sua maiores tribuisse vocabula Maio,
Tangor, & ætati consuluisse suæ.
Et Numitor dixisse potest: da Romule mensem
Hunc senibus: nec auum sustinuisse nepos.

3 De hísque Blondus in Roma instaurata, Adlecti, inquit, † dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam senatorum ex

equestri ordine in senatorum sunt numero assumpti. Nam
patres dicebantur, qui erant patritij generis. conscripti, qui
in Senatu erant scriptis adnotati.quod sanè ad literam habet
Pompeius Festus, aitque, Patres senatores ideò appellatos,
quia agrorum partes attribuebant tenuioribus ac liberis pro
prijs:& conscriptos dictos, qui ex equestri ordine patribus
ascribebantur, vt expleretur numerus senatorum.quo tempo
4 re † regibus ab vrbe expulsis P. Valerius consul propter ino
piam patritiorum ex plebe adlegit in numerum senatorum
centum & quinquaginta & quatuor.: vt expleret numerum
senatorum trecentorum,& duo genera appellaret.& sic Ti-
tus Liuius lib.j.conscriptos videlicet nouum senatum appel-
labant lectos.hincque planè Plutarchus in Romuli vita scri-
psit, Romanos appellasse patres cõscriptos, collegium senato
rum: ab initio quidem patres, posterioribus autem diebus,
ascriptis in eum ordinem pluribus, etiam conscriptos voca-
5 tos.Nec dubium † est ijs deinceps substitui solitos ex vniuerso
populo optimos, aut sanè ita constitutum consilium Senatus,
vt in id deligerentur ab vniuerso populo, aditúsque in illum
summum ordinem omnium ciuium industria ac virtute pate
ret, vt ait Cicero in oratione pro P. Sestio. & certè eò ven-
tũ est, vt senator legi censu cœptus sit, & magistratus omnis
fieri censu, vt Plinius habet lib.14. vnde L. Apuleius florido
rum lib.j. inquit: Ex innumeris hominibus pauci senatores,
ex senatoribus pauci nobiles genere, & ex his consulares, &
ex consularibus pauci boni, & adhuc ex bonis pauci eruditi.
vt plurimùm tamen ab Imperatoribus etiam, magno in ho-
nore & dignitate habitus est Senatus, senatorésque ipsi: atque
à plerisque diligenter curatum est, ne indignus in tam dignũ
ordinem legeretur. M. Antoninus neminem vnquàm legit,
quem ipse non bene scisset, vt refert Capitolinus. Alexander
6 † Seuerus senatorem nunquàm sine omnium senatorum, qui
aderant consilio, fecit: ita vt per sententias omnium creare-
tur, testimonia dicerent summi viri, ac si fefellissent, vel te-
stes, vel ij, qui sententias dicebant, posteà in vltimum reijce-
rentur locum ciuium, condemnatione adhibita, quasi falsi
rei adprobati, sine vllius indulgentiæ proposito: vt refert
7 Lampridius. Idem scribitur † præfectos prætorio ex senatus

autoritate constituisse, & nõ nisi summos viros senatores fecisse, ipsúmq; præfectũ prætorio, fecisse senatorẽ. quod anteà aut rarò aut nunquàm fuerat. Id autem fecit, ne quis non senator de senatore iudicaret. Autor est quoque Iulius Capitolinus, doluisse palàm M. Philosopho, quòd senator esset pertinax, præfectúsque prætorio fieri à se non posset. hócque nemo vnquàm principum ampliùs Senatui detulit, & adeò detulit, vt quoties de eorum capite esset iudicandum, secretò pertractaret, ac minimè in publicum proderet, neque pateretur equites Romanos talibus interesse causis. Qui quidem, vt refert etiam Blondus Romæ triumphantis libro 4. aliquandiù Romæ iudicarunt, & deinde cum senatoribus, & tribunis ærarijs, quippe qui mediam inter Senatum popularésque obtinerent autoritatem, vt habet Appianus Alexand. lib. j. Legem
8 † præterea edidit M. Philosophus, vt senatores peregrini quartam partem in Italia possiderent. & anteà Adrianus Imperator Senatus fastigium extulisse dicitur, difficilè faciens senatores, vt cùm Atulinum ex præfecto prætorij ornamentis consularibus præditum faceret senatorem, nihil se ampliùs habere, quod in eum amplius conferre posset, ostenderit. hícque equites Romanos nec sine se de senatoribus, nec secum iudicare permisit, execratus principes, qui minus senatoribus detulissent. Erat enim † mos, vt cùm princeps causam cognosce-
9 ret, & senatores & equites Romanos in consilium vocaret; sententiámque ex omni deliberatione proferret. Porrò senatoribus, qui non suo vitio decoxerant patrimonium, pro modo liberorum & senatoriæ professionis expleuit, ita vt plerisque in diem vitæ dimensum sine dilatione daret. quũ quodam tempore seruum suum inter duos senatores è conspectu ambulare vidisset, misit, qui ei colaphum impingeret, & diceret; Noli inter eos ambulare, quorum adhuc potes esse seruus. Ad conuiuium venientes senatores stans excepit. optimos quosque de senatu in contubernium Imperatoriæ maiestatis
10 adsciuit, vt retulit Spartianus. Nam etiam quærens † ab Epicteto Philosopho, quid esset Senatus, audiuit, ornamẽtum esse ac splendorem vrbis & ciuium. atque Diocletianus Maximianúsque lege 8. infrà sub titu. de dignitatibus, ita cauisse leguntur: Ius senatorum & autoritatem eius ordinis, in quo nos
quoque

quoque ipsos numeramus, necesse est ab omni iniuria defendere. Ad quem textum Lucas Pennanus scribit, Senatum obtinere cordis locum in corpore Reipubl. De quo & multa Budæus in l.fin.de Senator.ff. & egregiè Cicero in prædicta oratione: Cæterùm ita Senatu, quem hoc in Regno habemus amplissimum, ait Nicol. Bertrandus ad cap. vt inquisitionis. de hæreti. in 6. veluti radianti sydere & sole inter astra, Regem
11 † Francorum cæteris excellentiorem peroptimè consultum repræsentari. quem tamen similiorem Atheniensium Areopago, quàm Senatui Romanorum Budæus docet. eum autem putat à Druidibus receptum, & longo tempore ad nostram vsque ætatem obseruatum, Ioannes Bohemus in sua historiarum Rhapsodia. aitque Symphorianus Champerius in genea-
12 logia Francorum regum, Pipinum Senatorum consilia† primùm instituisse: & si non ea quæ nunc eorum forma, tunc erat. nam lege sanxit, vt semel in annum principes eò conuenirent, quò Rex ediceret, partim litibus iudicandis, partim constituendo regno. principes etiam senatus elegit, qui curiæ
13 præessent. hi semper ipsum regem comitabantur. denique† domicilio locum Parisijs acceperunt. In hócque Paul. Aemilius lib.8. & Nicol. Bertrand. tracta. de gest. Tolos. & Boërius de præemi. fac. consil. & in constitutionibus Regijs relatis in stylo Parlamen. eod. titu. de institutione Parlamen.

1 *Vt nihil à nobis inceptum, imperfectum relinquatur.*) Ad hæc† planè testatur de ipso Iustiniano Procopius de ædific. lib.5. nullam eius intentionem, desideriúmque mansisse imperfectum: quanquàm plerique ab initio frustrà quædam suscipere eum arbitrarentur: omniáque cum ipso Deum Optimum Maxim. opera suscepisse semper, quod ipse quoq; Iustinianus tandem multis locis testatus est, Deo laudem & gloriam, vt par est, referens. & ait in l. penul. de ijs, quib. vt indig. infr. nihil actum
2 esse, cùm† aliquid superest agendum. Vnde bellissimum sibi videri ait, Diui Marci prudentissimi orationem, & in libertatibus producere, ne princeps Philosophiæ plenus, aliquid imperfectum sanxisse videatur. vbi etiam adnuit id esse Philosophiæ, ne quid infectum imperfectúmque relinquatur, præsumptione iuris inexpugnabili extendens intentionem Anto-
3 nini † Imperatoris Philosophiæ admodùm dediti, eius cultoris

toris maximi, in eáque doctissimi, ab expressis ad minimè expressa, & moribus eius congrua, respondentémque intentionem arguentia. vnde simile sæpe ducere est argumentum.
4 ideóque successor imprimis† explere debet opus à decessore inchoatū, vt & docet Hostien. in procemio suæ Summæ. l. fi. inf. de oper. publ. aítq; pulchrè Leo decimus Pontifex Max. ad Franciscum Mariam Metaurensium ducem; nō solùm bonarum rerum fundamenta iacere, sed eas etiam altiùs construere ac planè perficere oportere. itáque Procopius ædif. Iustinian. lib. 4. ad residuum historiæ sibi progrediendum ait. Et cùm sit opus inchoatum, quoquomodo imponendam esse summam manum, magis quàm retro abeundum, opúsque imperfectum deserendum. Cæterùm equidem eximiam † vim
5 habent incœpta siue principia, quanquàm exigua quantitate, vti scripsit Aristoteles lib. 5. de cœlo & mundo, & quinto de generatione Animalium. vnde lib. Rhetoricorum 2. cap. 18. scribit: Eius rei, cuius principium fieri possibile est, & finem possibilem esse, impossibilémque esse finem, cuius non potest fieri initium. & Scipio Aphricanus apud T. Liuium lib. 37. inquit: Regum maiestatem difficiliùs à summo fastigio ad medium detrahi, quàm à medijs ad ima præcipitari. & Plato Reip. lib. 2. scribit, in vnaquaque re maximum aliquid principium esse, præsertim iuueni, & tenero cuique, cùm maximè tum formetur induatúrq; figura, quam imprimi velis. hácq; in re lib. legum 6. principium dimidium totius operis esse, dici antiquo prouerbio testatur, & plusquàm dimidium esse sibi videri ait, rectúmque principium nunquàm satis ab aliquo laudatū fuisse. vnde & Anticlaudianus lib. 2. canit:

Dimidium qui cœpit, habet, finísque beati
Gratia, principijs semper respondet honestis.

Vt scilicet contrà, difficile est bono peragi exitu, quæ malo sunt inchoata principio, vti scripsit Leo primus eius nominis papa, epist. 65. & refertur in Rhapsodia Gratiani, 1. q. 1. ca.
6 principatus. & dicitur in l. j. de orig. iur. ff. principiū† in vnaquaque re potissimam esse partem. ideò, qui incipit, facere videtur: vt notat Bal. in cap. literis. de rescrip. & ille dicitur actor, qui primò incepit litem, non ille qui prosecutus est. l. libertus. vt ibi idem notat, de in ius voc. ff. & hûc pertinet l. j. §. cùm

§.cùm arietes.si quadrup.pauper.fecisse.dica.& similia.aitque
Ouidius Fastorum lib. j. omnia principijs inesse solere.& sic
Ausonius in monosyllabis:

Incipe quicquid agas:pro toto est prima operis pars.

Itáque dictum est in authen.quib.mod.natur.effic.sui.§.si ve-
rò etiam.oportere semper inchoare aliquod bonum, & re-
fert beatus Lucas,in sacris actis cap.j. Iesum incepisse facere
& docere.& item notat Bal.in l.j.de iust. & iur. ff. ex Philo
7 sopho scilicet Peripateticorum principe,esse† prima princi-
pia tanquàm fores:in quibus nemo debet errare; quia modi-
cus error in principio,maximus est in fine.facitque authen.
vt iudic.sine quoq.suffr.§.post princi.& l.j.ad fi.de impo. lu-
cra.descrip.infrá. Fabius etiam instit. Orator. lib. j. cũ Ver-
gilio,à teneris consuescere,multum ait. & Prouerbiorum sa-
crorum cap. 22. dicitur Adolescens etiam cùm senuerit non
recessurus ab ea, iuxta quam imbutus est, via. indéque in la-
mentationibus Ieremiæ, cap. 3. Bonum esse viro cùm porta-
uerit iugum ab adolescentia sua. De quo etiam ca. si clerica-
tus. 16. q.1. & cap. in singulis.& seq. 77. dist. quæ & pertinẽt
ad l. vt gradatim.de mu.& hono.ff.atqui vt natura principia
8 virtute quidem & viribus maiora sunt,ita † magnitudine &
copia vincuntur, vt dixit Bessarion Cardinalis in oratione,
quam habuit ad principes Italos de imminentibus periculis
Turcarum.& præcipua quidem sunt principia, quia non ex
finibus dependent,sed hi ex illis: vti scripsit beatus Ambro-
sius.qui sanè perfectione cõmendabilem reddunt vnamquã-
que rem, quandoquidem exitus acta probat: vt in sacris &
apud Ouidium legimus. & hic quidem vt cætera,in Deo est,
vt idem in epistolis dixit. Vnde omnia etiam tuta timentes,
& nunquam nobis securi,in Deum respiciamus oportet, vt
bonum principium sequatur melius medium, & optimus fi-
9 nis,vt not.in inscriptionem authen.his enim perfectũ † quod
est illud, cui nihil deest, vt docetur à Gersonensi Theologo
lib.de perfectione cordis & alijs, haud dubiè constare vide-
tur,nempe ipso principio,medio, & fine, vt & tradidit Ari-
stotel.lib.j.de cęlo & mundo, & magnorum Moralium etiã,
lib.j.quæ scilicet & ante ipsum factum animaduerti necesse
est,& primùm cum cõsilio sapientum,principium quærere,

P con

considerare medium, prouidere in finem, vt habetur in libro inscripto beati Thomæ de quatuor causis.

Et hoc iam per uiros excelsos & facundissimos perfectum est, & à nobis postea confirmatum: quod geminæ constitutiones nostræ quæ antepositæ sunt ostendunt.) Hîc †innui videtur, oportuisse ea à principe comprobari: quanquàm aliâs in mandato minimè exigitur vel præcedēs rati sponsio, vel ratihabitio subsequēns: vt nota. in l. si procuratorem. de procura. & in l. quo enim, post princ. rem rat. hab. ff.

1

§. Posteà uerò tam quinquaginta decisiones fecimus, quàm alias.) Notatur hîc decisionem dici, quæ componitur ad dirimendam †aliquorum dissensionem. &, ne hoc videretur ita simpliciter accipiendum, allegatur l. veteris. de contrahen. stip. quod planiùs docet Bal. in l. fi. col. 2. de dot. promiss. infrà. dicens, quòd quotiescunque Iustinianus facit mentionem de opinionibus veterum, & ad eas tollendas decidit, id est de quinquaginta decisionibus. contra tamen hanc suam præceptionem ipse in l. fi. vnde vi. inf. dicit eam esse vnam ex quinquaginta decisionibus, vbi tantum cùm quæreretur inter Illyricianam aduocationem sancitur. ac in l. fi. quæ res pigno. oblig. poss. dicit ipsam etiam esse vnam ex decisionibus illis quinquaginta: vbi sancitur, nulla relata quæstione, vel dubitatione. quod si eiusmodi omnia, imò tantùm, quæ cùm dubitatum dicatur vel quæsitum, tum vel apud antiquos, vel variatum sanciuntur, & veterum vel veteris iuris ambiguitate resecata, dubitatione antiqua, vel antiquorum, seu interpretatione sublata, & veterum inquisitione amputata, & obscuritate dubietatéque explosa, qua alij aliud videbatur, dirimunt, & iuris antiqui quæstiones & altercationes sopiunt, in hac re obseruemus, longè plures erunt, quàm quinquaginta decisiones. †Nā omnes Iustiniani leges trecentæ quinquaginta & tres sunt. quinquaginta autem illas decisiones se cum diligentia aliquā do inuestigasse, & in scriptis redigisse ait Bellouisus in repe. §. contrahentes. not. 6. c. Romana. de foro compet. in 6. Nobis etiam aliquando eas disquirentibus visum est esse, quæ sequūtur, l. fi. de neg. gest. l. fi. qui & aduer. qu. in inte. res. nō poss. l. fi. de pet. hæred. Sex posteriores leges sitæ sub tit. de vsufr. l. fin. de seruit. & aq. l. fi. de reb. cred. l. pe. & vlt. de condict. indeb.

2

indeb.l.fin.per quas personas nob.acqui.l.fin.ad Macedo.l.penul.ad Velleia.l.fin.deposi.l.fin. de contrahen.emp.l.si furiosi. l.si quis alumnam.de nup.l.fin. de dot.promis. l.fina.arbit.tut. l.fin.de auto.præst.l.pen.& vlti.de cur.furio.l.antepen.& vlti.de fur.l.furiosum.qui testa.fac.pos.l.antepe.& penul.de necess.ser.hæred.insti.l.pen.& vlti.de posth.hæ.insti. l. antepen. & penul.de iure delib.l.cùm quæstio.& l.cùm quidam. de lega.l.cùm quidam.de verb.sign.l.cùm inter veteres.l.pen.& vlti.de fideicom.liber.l.j.& ij.de comm.ser.manu. l.j.de nudo iure Quiritum tollendo.l.fin.de præscrip.long.tempo.l.j.& iij. de anna.excep.l.ij.de præto.pig.l.fina.de remiss.pigno. l.veteris.de contrahen.stipul.l.penul.de adop. Quanquàm quędam harum vix magis videntur eiusmodi decisiones, quàm aliæ quædam.vnde ambigere licet adhuc, an nonnullæ harum magis sint, quàm alię in illis quinquaginta, vel numero illo quinquagenario intelligantur etiam aliæ eiusmodi: vt vel l.sancimus.de nup.& l.penult.de testa.sicut septuaginta† dicti veteris legis diuinæ Græci asciti à Ptolemęo rege interpretes, qui tamen fuerunt septuagintaduo, vt à multis proditum est, & in alijs similia. Cæterùm dicet aliquis quinquaginta decisiones eiusmodi omnes intelligi, quæ aliquid controuersum vel dubitatum enucleare quoquomodo dicuntur, quotquot sunt leges ceu capita eiusmodi sub vno titulo pro vna decisione intelligens: quando etiã sunt, qui tradunt quicquid est sub singulis titulis singulas tantùm leges efficere. Sed nec satis constabit sic numerus ille quinquagenarius. & certè adparet in ipsis à nobis adnotatis decisionibus plerisque, eas per se solas
4 ita vocari, & accipi. Constátque† ipsa omnia iuris capita singula, leges dici, vt est textus in l.secunda.§.tanta. de veteri iure enuclean.infrà.& hæc ipsa constitutio in fine lex dicitur, non ideò quòd sit vnica sub hoc titulo, cùm & tanquàm tertia vnius totius Codicis procemij accipi dicatur: sed ita, vt pleræque aliæ, quibus initium est: Hac lege, & similes.& quod suprà in priori constitutione habetur, quæ varijs constitutionibus dispersa sunt, in vnam sanctionem colligi, siue explanes in vnum legum opus generale, vt Codicem ipsum, sicut facit Accursius: & planum est, cùm & ius hoc vniuersum rectè sanctio Iustiniana dicatur, vel particulare quoddam opus iuris

 intel

intelligas,vt quæ sub vno titulo apponuntur,nihil obest,quo
minus planè,quæ eius sanctionis sunt,sicut constitutiones,ita
& leges dicantur,& ipsa sanctio legum.

§.Sed cùm. Quædam ex emersis posteà factis aliquam meliore consilio per-
1 *mutationem uel emendationem desiderabant.*) Hinc notare licet † vul-
gatum illud:Quæ nouiter emergunt,nouo auxilio indigere.
in quo & textus adhuc infrà ea.§.his igitur. & hoc similiter
multis deseruit facti speciebus notatu dignis. de quibus l.de
ætate.& ibi not.de interro.act.l.j.de vent. insp.l.si à te.de ex-
cep.rei iud. ff.§. siquis ergo.auten. quib.mod.nat. eff. sui.cap.
5.de iura.calum.cap.j.de procur.c.suggestum.de deci.c.nulli.
99.dist.cap.nouit.de pœ.dist.j. Anch. consil.204. Ponta.con-
sil.269.quæsito 5.& in l.si vero.§.de viro.sol.matri.ff.in rep.
exceptione,quæ fallen.dicitur,50.Barbatia post alios in cap.
insinuante.col.pe.de off.delega.& in rep.rub.qui admitti,nu.
31.37.38. Marsil.notabili 142. 229. 231. 233. & in l.j.§.fi.colum.
6. & in l. si quis ne quæstio. col. 11. de quæstio. ff. Item no-
2 tandum,quod ait in Bruto Tullius , nihil esse simul † inuen-
tum & perfectum : & pariter quod dixit Antoniana altera,
posteriores cogitationes , sapientiores esse solere.itaque di-
cit Paris Puteus in tractatu [illegible], qui inscribitur , De
syndicatu , cap. cui initium : licet alias : voluminis magnæ
3 formæ , quæ in folio dicitur, fol. 68. quòd † iudex acta cau-
sæ pluries videre debet , ne si minùs veritatem intellexe-
rit , lata culpa teneatur , & sarcire teneatur de proprio
damnum , quod inde contigerit parti. in quo sunt & con-
stitutiones regiæ : vt mittam cætera , quæ errantem mul-
ctant in iure vel facto. quod & ipsum iuris errorem ferè fa-
cit,si vel perperàm intelligatur,vel,quod omnino consequēs
est,perperàm recitetur. quoniam,vt ille ait,iudicium reddit
verum enarratio quidem vera. At dum à properantibus ni-
miùm studetur auaritiæ,negligentiùs perspiciuntur acta per
se satis fastidiosa,& iudicia pessum eunt. Quibus,ne ruant pe
nitus, vnum video remedium,renuntiantibus & censentibus
omnibus,statis horis expediendis causis adlaborantibus, vel
necessaria stipendia esse de publico,ipsisq; publico sportulas
adiudicari,nempe secundū id, quod singulariter docet Alcia.
lib.dispunc.3.cap.17.

Easdem

Easdem constitutiones nostras decerpere, & in singula discretas capitula, ad perfectarum constitutionum soliditatem, competentibus supponere titulis, & prioribus constitutionibus eas aggregare.) Decerpere dixit, propter permutationem & emendationem suprà ac infrà similiter dictam. Vnde ex eo, quod erat vel ex parte permutandum & emendandum, decerptum videtur quicquid tandem
1 rectum superest. & in singula discerni† capitula constitutiones dicuntur, quòd vna ab alia secernatur: ita vt singulæ singula capita faciant. & ita vt primùm latæ sunt, prioribus eiusdem materiæ adiunguntur, & congruis titulis supponuntur. Et hæc omnia ad perfectam ipsarum constitutionum soliditatem fiunt, hoc est ad perfectam idoneitatem & conuenientiam, solidam; continuam, plenam, integram perfectionem: vt solidæ, integræ, perfectæ omnibus modis sint: ita vt nihil omnino desideretur vel deesse dici possit illis, siue ipsas per se
2 spectes, siue etiam situm: qui† magnã rebus omnibus gratiam adiungit; si aptus sit, vt & detrahit, si ineptus, vt vel eo, licet aliòquin solidæ & perfectæ res, minùs solidæ & perfectæ ha-
3 beãtur. Et obserua hîc capitulum, †pro operis particula dici, & rectè quidem, vt & tradit Alcia. infrà lib.12. titu. de priuilegijs eorum, qui in sacro palatio militant. citans in id Vlpiani textum in l. prima. de re milit. ff. vbi ego quidem inueni capitulum in vetustissimis libris bonæ memoriæ Do. Antonij Arquerij procuratoris Regij in fide optimi, aui mei materni. nam in vulgatis Lugdunensibus caput legitur. at in ijs etiam Papinianus in l. prima. de interdic. & relega. capitulum habet. Sed & Vlpianus in l. sed & reprobari. & Modestinus in l. si duas. §. j. de excusat. tuto. quanquàm hunc titulum ab indocto quodam versum adparere iam olim dixit Politianus lib. episto. 5. sed & plerosque alios Latinos ac Græcos autores eiusmodi voce ita vsos curiosiùs inuestiganti patebit.

§. *Supradictis. Nocte obscuritatis obductas, noua elimationis luce detegere.*) Huc facit lex ij. in ij. parte famil. ercisc. ff. & ibi Floria.
1 Vnde licet notare, vetera † & difficilia dici obscura: ex quo nouo quodam facto sunt clarificanda. Nec ab re est tractatus infrà de vete. iure enucle. & simi. Præterea, ait hîc ex hoc text. Bald. & Alber. Brunus tractatu de constitutionibus. verbo, nox. non dici noctem, nisi cùm est obscuritas. quandoquidem

P 3 ea est

ea est propria noctis:& natura vtique nocti est, vt tenebrosa sit:sicut contrà diei, vt sit lucidus. vnde sæpe in sacris nocte capitale peccatum,quod in tenebras exteriores ducit, & luce gratia,qua peruenitur in inaccessibilem lucem, designantur. sed cùm subobscurum est tempus,vt matutinum & serotinũ,
2 quod † crepusculum dicitur,an nox illud est,an dies? sanè & hæc vetus & perdifficilis quæstio est,varijs & perplexis opinionibus obscurata.quam pro ea quæ nobis est nunc, otij facultate elucidare conabimur ,quambreuissimè. equidem & sublucidum est id tempus similiter,& sicut recedit siue nox, ita aduenit dies,siue dies,ita aduenit nox.Et cùm sublucidum matutinum sit initium lucis planè subsequentis, & subobscurum serotinum sit initium obscuritatis planè subsequentis, crepusculum matutinum diei esse ceu initium eius,& crepusculum serotinum noctis esse,tanquàm initium noctis,tradidit Marius Salomonius ad l. Gallus. §. quòd si is. de lib. & posth. ff. improbans alteram opinionem Bartol. in l. qui duos. §. j. de manu. testa. argumento eius textus dicentis,quasi noctis morientis tempus illud subobscurum matutinum illi tribuẽdum,& quasi diei morietis sublucidum illud serotinum diei assignandum.Quodnobis non ita planè improbandum videtur.nõ quòd nox vel dies moriantur, hoc est vita perimãtur, quam non habent,non enim tam hebes fuit Bartolus aut quiuis alius,vt hoc diceret. At sicut viuens primum nihil prorsus est,etsi aliòquin est,& aliud est,quod animam non habet, cùm ea vita constet,nec viuens esse desijt , & incipit mortuũ esse,quod non est ea planè destitutum, cuius priuatione desinit esse viuens.Ita nec dicitur dies primum , etsi quid aliud quodammodo est,quod planè lucem non habet,cùm lux diei propria sit,nec desijt esse dies,incipitque nox esse,cuius obscuritas propria est,quod planè luce non caret,cuius defectu de-
3 sinit esse dies.Et † sicut moriens viuens esse desinit,viuens interea tamen:ita nox desinit lucescens:interea tamen nox existens donec planè recessit & luce expulsa est,& dies obscurascens,interea tamen dies existens donec & hic planè recessit & obscuritas obtinuit. A priori enim omnia censentur , & quoad fieri potest,trahuntur.& quod semel est,nisi planè desijsse videatur contrario opposito, esse intelligitur , & persistit.

ſtit. Nec dubium eſt cùm tenebræ eſſent, vt docet Moſes Geneſ.cap.j.dixiſſe Deum: Fiat lux,& ſic lucem factam.ſic vt ratiocinatio Salomonij non concludit,ita nec textus l.Titius.§.j.de libe.& poſthu.ff.cùm de die toto,qui & noctem comprehendit,intelligatur:vt & ibi docuit Iaſ.Nec facit ad illam opinionem textus,quem etiam citat ille ex Matthęi euang.ca.28. vbi habetur:Veſpere autẽ Sabbati:quæ luceſsit in prima Sabbati: cùm,inquit,non ſit noctis lucere vel luceſcere. Atqui & quæ indubiè nox eſt,lucere videtur & luceſcere luna & ſtellis.vnde & auroram intelligẽs beatus Matth.voce veſperæ ap

4 pellans,†noctis eſſe voluit:quę quidem veſper dicitur diei totius.Idque confirmat beatus Ioan.ca.20.ſic habens:Vna autem Sabbati Maria Magdalene venit manè,cùm adhuc tenebræ eſſent,ad monumentũ. Vnde viciſsim dicemus Salomonio,diei non eſſe tenebreſcere.nec deſunt autorum optimorũ loci,qui conuenienter ſeram poſt ſolis occaſum lucem quouſque tenebræ ſunt,diem eſſe notent:vt apud Cæſarem belli ciuilis lib.j. illud: Sub veſperum Cæſar intra hanc foſſam legiones reducit,atq; ibi ſub armis proxima nocte conquieſcit. at cùm non niſi bona & valde bona perfectáq; ſint opera Dei,ipſéq; ipſiſſima lux ſit inhabitans lucem inacceſsibilem, intelligitur feciſſe lucem illam perfectam ſtatim, & eam quidem ſeorſum diem eſſe voluiſſe,& cætera omnia, ſic quoq; crepuſcula ambo:quia luce carerent, & priſtinas tenebras reſiperent,noctẽ. Vnde prædicto loco ſubijcitur:Et vidit Deus lucẽ,quòd eſſet bona.& diuiſit lucem à tenebris: appellauítq; lucem diem,& tenebras noctẽ.Nec ab re,quod ibidẽ ſubſequitur:Factúmque veſpere & mane dies vnus. Aut ſanè,vt ipſum Hebręum prorſus habet: Et factũ veſpere,& factũ mane dies vnus. quãquàm etiam alij,vbi:factum:eſt,fuit dicere malunt ex verbo defectiuo יְהִי quod & erit ſignificat,& pro, ſit,vel fiat, ponitur, vbi eſt:Fiat lux:propter certitudinem efficaciæ verbi Dei.Porrò in his exponẽdis multùm ſudauit antiquitas, & mira Mirandulani aliorúmq; recẽtiorum doctiſsimorum induſtria. Nec

5 † dubiũ eſt ſacram ſcripturã plures omnino recipere ſenſus, vt docet ipſe Apoſtolus ad Galatas,ca.4.& latiùs beatus Hierony.in epiſt.ad Hedibiam,q.vlti.& adhuc beatus Auguſti.de Gene.ad literã lib.imperfecto,ca.2.& planè,vt mittã cęteros, Prierius

Prierius tractatu speciali primo suæ aureæ rosæ. & Sanctes Pagninus Isagoge ad lite.sac. & Budæus ad fin. transit. Hellenis.quin
6 † in septuagintaduas facies variari posse scripturæ sacræ sensa Zohar insignis Hebræus docet: vt & retulit Georgius Minorita in sua sacrorum Problematum præfatione. Atqui, quantum ad rem attinet, planè traditur à veteribus ac recentioribus vulgatis, Hugone, & Lyrano, cùm dictum est, Fiat lux: lucem quandam ex præiacenti materia per nebulam factam, aut solem informem, qui posteà quarto die fulgore donatus est, & tum lunæ & stellis factis lucem suam pro modo conuenienti communicauit. Diuisáque est lux à tenebris
7 per motum ipsius lucis, vt solis: qui quando † mouetur super vnum hemisphærium, fiunt tenebræ in opposito hemisphærio, propter opacitatem terræ, quæ est in medio. & appellata est lux dies, quia dies est latio solis super terram; & tenebræ nox dicta est, quia sicut per præsentiam solis efficitur dies: ita per suam occultationem nox. factúmq; vespere & mane dies vnus: scilicet naturalis, qui prima sui parte complectitur prædictum diem artificialem vocatum, quem ipsum quidem veteres naturalem dicebant, alium ciuilem appellantes, cuius finis est vespera, & secunda sui parte noctem, quæ in mane sequenti completur, ait Lyranus, sicque Hugo: mane est terminus finalis præcedentis diei, initium verò & pars sequentis. vnde primus dies non dicitur habuisse mane. In hócque Pelbartus altera parte Rosarij theologici ita scribit: Prima dies non habuit manè maximè clarum: quia illa lux faciens diem, creata fuit in meridie, in parte nostri hemisphærij, iuxta Zenith capitum nostrorum. ídque ex Beda. aitque inde Arabes
8 † & Astronomos à meridie inchoare diem. & idem testatur Ioach. Fortius Ringelbergius lib. de tẽpore. quod in Vmbria fieri post Varonem scripserunt Aul. Gellius lib. 3. cap. 2. Macrob. lib. j. cap. 3. Censori. ca. 19. Sed & inter veteres beatus Ambrosius lib. j. hexameri, ca. 10. ita vt dictum est scriptum à Mose docuit, quòd vesper finis diei sit, & manè finis noctis, & ita diei ceu dignioris appellatione nox quoque concluderetur, & doceretur à luce inchoare diem, & in ipsam desinere lucem. non quòd nox priusquàm dies significata sit, ita scilicet, vt dies totus à vespere incipiat, vt inde dicere Iudæos retulit.

Carolus

Carolus Cottus in Longobard.29. qual. quis se defen. deb.& idem testatur beatus Chrysosto.in Genesin, homil.4.& simpliciter Pelbartus, & Ringelbergius prædictis locis: ac Sebast.Munsterus in calendario Hebraico, at id fieri docens, vt anni lunaris, quo vtuntur, ratio cum anno solari cōstet. quod
8 & similiter † Athenienses fecisse produntur ab A. Gellio & Censorino prædictis locis. atque in hoc hæresin Manichæis tribuit D.August.lib. de Genesi in Manichæos, cap.10.ita dicens: Et hîc calumniantur Manichæi, dum putant ita dictum esse, quia à vespera dies cœperit. non intelligunt operationem illam, qua lux facta est, & diuisio inter lucem & tenebras, & vocata est lux dies, & tenebræ nox, totam ad diem pertinere. Post hanc autem operationem tanquàm finito die facta est vespera. sed quia etiam nox ad diem suum pertinet, non dicitur transisse dies vnus, nisi etiam nocte transacta cùm factū est mane. Sic deinceps reliqui dies computantur, à mane vsq; in mane, hoc est ab exortu solis, vsque ad eiusdem exortum. Quod & Græcos facere ait Ringelbergius, & Babylonios
9 Gellius, † Macrobius, Censorinus: vti demum à media nocte in mediam noctem Romanos: de quo etiam nobis est text. in l.more. de feri ff.& nos, vt exprimit Ringelbergius, & quidē ab ortu solis in eius ortum diem totum duci à communi plebe Pelbartus notat. Sicque ait idem, ecclesiam Christianam inchoare diem totum à media nocte, quia tunc ortus & natus est mundo verus sol iustitiæ Christus: idque in ieiunio ob seruari: attamen dies festos inchoari in vesperis quo ad officium, & variè pro consuetudine varia quo ad cessationem ser uilis operis: vt not.in c.quoniam.de fer.& in cap.pronuntian dum.de consec.dis.3.in quo & las.in d. l. more. Adhæc ex Isi-
10 doro tradit † Pelbartus, noctis partem primam esse vesperū, extremam diluculum. & conuenienter beatus Chrysosto. in Genesin d.homil.4. Sciamus, inquit, quòd vespera finis est lu cis, & principium noctis, mane autem finis noctis, & impletio diei. Insuper beatus August. prædicto lib.in Manich.c.14. tres dies inquit quomodo sine sole esse potuerunt, cùm videa mus nunc solis ortu & occasu diem transigi, noctem verò no bis fieri solis absentia, cùm ab alia parte ad orientem redit? Quanquam hoc quidem ita ex Manichæorum persona dicit.

Q ex se

ex se verò lib.in Genesin imperfecto ca. 6. Quum dies, inquit, à nocte secernitur, si istum diem vult accipi Moses, quem solis ortus inchoat, & claudit occasus: & istam noctem, quæ à solis occasu vsque in ortum tenditur, non inuenio quomodo esse potuerint, antequàm cæli luminaria facta essent. Planè etiam lib.confessio.11.cap. 23. diem esse dicit, secundum quod aliud est à nocte, morulam solis super terram. atque huc pertinet omnino suprà relatus Matthæi textus si perfectè exponatur. Ostendimus enim eo manifestè doceri crepusculum matutinum noctis esse. Nunc verò etiam ostendemus ex eo-
11 dem crepusculum † serotinum eiusdem noctis esse. Idque facilè expressissima beati Augustini expositione de consensu Euangelistarum lib.3.cap.24. ita habentis: quod dicit Lucas, Valde diluculo, & Ioannes, mane cùm adhuc tenebræ essent, hoc intelligitur Marcus dicere, valde mane oriente iam sole, id est, cùm cælum ab orientis parte iam albesceret. quod non fit vtique, nisi solis orientis vicinitate. Eius enim est ille fulgor, qui nomine auroræ appellari solet. Ideò non repugnat illi qui ait: cùm adhuc tenebræ essent: die quippe surgente, aliquæ reliquiæ tenebrarum tantò magis extenuantur, quantò magis oritur lux. Matthæus autem ait: Vespere sabbati, quæ lucescit in prima sabbati: à parte prima noctis, quæ est vespera, ipsam noctem significans. cuius noctis fine mulieres venerunt ad monumentum. ac si diceret: Nocte quæ sequitur diem sabbati, quæ luce incipit terminari. Et cætera
12 deinceps † quoque seculares autores & secularia seu profana tractantes, diem definierunt esse secundum quod distinguitur à nocte, solem super terras: vt Cassiodorus libro de Dialectica. Censorinus, & Ringelbergius, & alij. Demúmque à nostris Iuris interpretibus id traditur in cap. si perfodiens. de homicid. in dicta l. more. de ferijs. ff. à Bartolo in l. aut facta. §. tempus. de pœnis. & in tractatu de alueo. verbo, eius, & alijs alibi sæpissime. & hæc est communior & tutior opinio. Contrariam tamen omnino sententiam, scili-
13 cet vt † crepuscula ambo sint diei, prætereà, quædam magis persuadere videntur. quandoquidem, vt dictum est, initium spectandum est, & omnia, initium, & finem habere noscun

noſcuntur: quibus,ceu extremis circũferentijs in ſphęra,medium punctum clauditur.vnde ipſum totum & ſolidum efficitur.Ex quo etiã Trinitatis vnitas diuina, à qua omnia ſunt, in ſuis operibus repræſentatur.Primùm igitur omnino tenebræ erant,vt eſſe poterant,ſuper faciem abyſsi.Et cùm viſum eſt Deo,verbo ſuo induxit lucem.quomodo non eſt curioſiùs inueſtigandum. eámque ſelectam à tenebris,vocauit diem,illas verò noctem, cúmque,vt tum primùm, ita poſteà ordine naturæ ab ipſo conſtituto ſolis curſu,deficiente ad Antichthonas luce,veſpere primum dies finiret, & tenebræ nocti reſeruatæ redirent, & poſteà viciſsim dies rediret extremis tenebris finiẽte nocte,tenebras ipſas quidem,vt anteà erant, etiam poſteà ſine luce aliqua ipſius quidem per ſe Solis, temperatas tamen aliquatenus commodata à ſole lunæ & ſtellis luce,noctem eſſe voluit, cætera verò lucémque ipſam planam & initium ac finem,quæ & planè creato ſole ex ipſius aduentu mane primo, vel eiuſdem receſſu veſpere ſublùcerent, ſicque v-
14 traque crepuſcula,†videlicet veſperum & mane totum,cum meridie,ceu initium & finem medium claudẽtia,& cum ipſo totum conſtituentia, diem eſſe voluit. Vnde & dicitur illud; Factúmque eſt veſpere, & mane dies vnus, ſicque poſteà alijs diebus,ipsóque die quarto,quo luminaria ſunt facta. dictúm-
15 que בבקר quod expoſitum eſt manè, & vulgò † manè dicimus, quod non modò ortum ſolis,verumetiam lucem, quæ illum præcedit,ſicque diluculum ſignificat, ſicut πρωΐ Græcis,vti & pſal.45.qui eſt 46.apud Hebræos,docetur,vbi eſt:Adiuuabit eam Deus manè diluculò. vnde & valde manè beatus Marcus habet.quod beatus Lucas:valde diluculo: aut ſanè iuxta Græcum omnino:profundo diluculo: hoc eſt ſub initium diluculi,& principio ſummi mane, aut primo mane ſtatim. In hócque beatus Auguſt. prædicto de conſenſu euangeliſtarum loco ita dicit: non ita accipiendum eſt, quod dicitur,valde manè:tanquàm ſol ipſe videretur iam ſuper terras,ſed potiùs ſicut dicere ſolemus ijs, quibus volumus ſignificare temporiùs aliquid faciendum. Cùm enim dixerimus mane, ne putent iam ſole ſupra terram conſpicuo nos dicere, ad hoc pleruнque addimus; valde mane,vt illud quod iam albeſcente vocatur, intelligatur, quanquam & hoc vſitatum eſt,vt poſt Galli

cantum sæpe repetitum, cùm coniectari homines cœperint diem iam appropinquare, dicant: iam mane est: & cùm post hoc verbum attenderint, & iam oriente, id est iam de proximo adueniente in has terras sole, cælum rubescere & albescere viderint, addant, qui dicebant: Mane est: & dicant, valde mane est: cùm tamen scilicet tum tantum mane esse incipiat, &, quod anteà dictum erat, adhuc tenebræ essent: & siquidem recedentes. vnde & vesperi dixisse potuit beatus Matthæus, & conuenienter beatus Ioannes, cùm adhuc tenebræ essent, à priori particula temporis, quod operi narrato impenderunt mulieres illæ sanctæ, totum notantes. Nā
16 tres fuisse adparet particulas eius temporis. quæ distinctæ miram Euangelistarū consonātiam ostēdunt. Imprimis fuit, quæ impēsa est emēdis aromatibus. Secūda, quæ gressum earū ad monumētum cepit. Tertia, quę finiuit. Primam tantùm videntur expresisse omnino: licet alias quoq; inde apertè denotantes, beati Matth. & Ioan. sicq; secundam beatus Lucas. Tertiam verò cum prioribus ordinatim & distinctim, insinuauit beatus Marcus. quanquàm primā obscuriùs dicens: Cùm transisset sabbatū. quod beatus Matthæus explicat verbo, vesperi: hócq; beatus Ioānes dicens: Cùm adhuc tenebrę essent, ita extremam noctis partē notantes proximam diluculo: quod est summum initium diei. atque cùm extrema pars & finis diei, sit vespera, proxima noctis initio, quod, vt nox tota, tenebræ sunt ab extrema parte diei extremam illam partem noctis: quæ quidem diei accedit, & diei totius extrema pars est, & eius venit appellatione, beatus Matthæus commodissimè nūcupauit. sicut & commodè, imò & commodissimè alio respectu, vt ostendemus, prædicto loco Geneseos, vt & tandem ad eum reuertamur, vespera ipsa extrema parte diei à Deo vocati extrema diei cum nocte totius dicti pars proxima nox, est comprehensa. planum nanque videtur dictum à Mose: Factum vespere & mane diem vnum, intelligendo vnà noctem comprehendi: quam quidem primùm seorsum ita dici tenebras remanentes docuerat luce facta, & lucem à Deo factam diem, omnia verò simul iuncta, à die ceu digniori denominari, & indigniorem partem eius appellatione operiri, Ideò & hoc faciens non noctis partes expresit,

sed

sed diei ipsius finem, scilicet & principium. Quod adparet etiam inde, quod dixit: Factum est vespere. si enim id noctem vel eius partem, vtique tenebras, nihil ipsas, nempe priuationem existentes, expressim appellaret, non diceret opinor: factum est: cùm & anteà tenebræ ipsæ non dicantur fieri à Deo: sine quo nihil quidem factum est: vt ait beatus Ioannes, quod factum est. & quodcunque post ipsum est eùm nihil ante ipsum sit, ab ipso factum est. Finem autē diei ipsum, inquàm, vesperum primùm expressit, cùm proximè eum sub-
17 sequantur †noctis tenebræ, quæ ante lucem erant, vt esse poterant: nempe quæ prodierant primùm vnà cum ipso abysso, Chao, & rudi materia, dein luce illustrata: & sic deinde incipiat dies, qui per lucem inductus est à Deo factam, effugatis & superatis tenebris. Ita quidem, vt diei labori subseruientes quietis tenebræ quædam, luce & ipsæ quadam ornatæ remanerēt, quæ nox vocaretur, & diei intelligeretur. vnde & Deus ab Esaia dicitur Creans tenebras, & à Psalmographo posuisse tenebras, & nox facta, contra Manichæos. Ideò cùm tenebræ
18 †noctis selectæ à luce diei, appellatione diei simpliciter comprehendantur, tanquàm dignioris & præcipui, & quasi soli existentis & facti, ipse tantùm diei partes exprimuntur, & ita vt quod præcessit primùm, & quod subsecutum est deinceps, aptissimè significetur. Itaque haud dubiè ambo crepuscula lucis diei esse videntur. hócque adiuuat omnino beatus Ambrosius prædicti operis ἑξαήμερ lib. 4. cap. 3. Ita scribens: Aliud est lumen diei, aliud lumen solis, & lunæ, & stellarum: eò quòd sol radijs suis fulgorē diurno lumini videatur adiūgere. quod vel ortus diei potest prodere vel occasus. Nam ante solē lucet quidē, sed nō refulget dies. nec solùm vnum signū, sed etiā duo voluit esse diurnæ discretionis atq; nocturnę: vt & lux discretionē faciat & solis exortus, & iterū lucis defectus & stellarū ortus inter occasum diē distinguat, & noctis exordiū. nam vbi occiderit Sol, manet tamē adhuc aliqd reliquiarū diei, donec
19 tenebræ terrā operiant. & tūc luna oritur & stellæ. & de †nocte quidem apertè liquet, quia luna & stellarum illuminatio, noctis spatia testantur. Nec ab re D. Augustinus lib. j. de Genesi ad literam cap. 11. potest & hoc dici, inquit, auctū esse fulgorē diei, sole addito: vt per illā lucē minùs fulgēs dies, quàm

20 nunc est, fuisse credatur. & cap. 12. non omnis lux † dies appel
latur. nam & lunæ est & syderum & coruscationum, & quarumcunque rerum ita fulgentium: sed illa lux dies appellatur, cui nox præcedenti recedentíque succedit. & lib. de Genesi in Manichæos cap. 14. Posteaquàm ex Manichæorum querentium persona dixit quod suprà relatum est: non enim ait, sol tantummodo inchoat, & nō etiam peragit, & finit diē. luna verò aliquando media nocte, vel in fine noctis ad nos
21 procedit. manifestum est igitur, † quòd per diem sol principatum quidem tenet, luna verò per noctem. Adhæc multa & in sacris sunt idem denotantia: vt cùm psal. 54. Vespere & mane, & meridie, ceu vnius diei dicūtur. & Prouerb. 7. Dies aduesperascere & lucessere dicitur. & cùm ibidem iuxta Hebræum omnino habetur: in crepusculo, in vespere diei, in obscuritate noctis, & tenebrarum. vbi id dicitur de muliere adultera, quæ viro suo absente, obseruat alienum virum, vt ad se trahat, cùm subobscurum est tempus diei, hoc est in crepusculo matutino, & vespere diei, aut cùm obscurum est, vt noctu, aut aliâs vt potest latenter & in tenebrosis locis. Et iā, vt mittam cætera, huius sententiæ fuit singulariter Barto. in d.l. Titius. §. j. de libe. & posth. ff. quæ & certè videtur ve-
22 rior. Quinta † tamen adhuc in hoc est opinio: quæ, vt tollatur omnis scrupulus, & variæ docentium opinationes concilientur, quodammodo inuenta videtur, videlicet nec vesperum, nec manè ante solis exortum, alternatim, vel ambo diei vel noctis omnino esse, sed vel huius vel illius, quatenus magis huic vel illi similia esse videntur, aut huius vel illius parti-
23 cipant obscuritatem vel lucem. quemadmodum † hermaphroditus magis putatus est sexus eius existimandus, qui in eo præualet, in quo magis incalescit, l. quæritur. de stat. ho. ff. c. si testes. 4. q. 2. & 3. vt docet Pan. in d. c. si perfodiens. de homici. & Ias. in d. l. Titius. §. j. de lib. & posth. ff. quæ traditio magis ad particularem iuris causam pertinere videtur: quæ, vt in omnibus, certè ita hîc obseruari debet, & secundum eā dies vel nox accipi. vt cùm vel lege municipali, perperàm admissum noctu plus puniēdum est, si ante solis exortū vel post eius occasum quicquam eiusmodi patrari cōtigerit, an omnino noctu censeatur admissum necne, eius legis causa est consideran

ſideranda,ſicut aliâs,l.j.quæ ſit longa conſue.infrà.vt tandem in hac ipſa re ſcribit Gandinus in tracta. maleficiorum tit.de
24 pœnis reorum.quæ † imprimis videtur, quòd nox maius faciat delictum:vt docet Bal.in d.l.more.de fer.ff.& arg. l.j.de maleſi.hócque propter inſidias & fraudes,quæ in tenebris facilius fiunt,& difficiliùs cauentur. l.j.§. tria lumina.de vent. inſpi.& quia turbantur tempora tranquillitati data: vt dicit Carolus Cottus in Longobard. j. de homi.in cur.alie.. Vnde & notant,viri boni non eſſe,noctu ire per ciuitatem, & domos alienas, l. iter. & ibi Accurſ. & Caſtren.commu. præd. Seiſellus in l.vt vim.prope finem.de iuſ.& iur.ff.Cępola in l.
25 ſi fugitiui.q.7.de ſeru.fugit.infrà.vnde hoc caſu † quidē dies tantùm intelligendus videtur,cùm tanta eſt claritas, vt diei attribuenda videatur.Quod eſt, cùm res adminiculo eius claritatis diſcerni poſſe videntur : ſicut traditur in d.c.ſi perfodiens.de homicid.ex eius ratione,quæ vtique legem ampliare videtur.l.cùm pater.§.dulciſsimis. de leg.3. ff. quod eſt iam in prouectiori mane, & veſpere recentiori, etiam ſi nondum omnino, aut iam ſol ſuper terras non exiſtat:quo tempore vulgò dicitur iam vel adhuc pecunia diſcerni: non contrà veſpere prouectiori & diluculo recentiori:quando nondum ſeſe mutuò dignoſcunt homines,quod aliòquin initium diei, atque ideò dies videtur: vt & indicat tex. Ruth cap. 3. atque ideò ſi quando vel ex dictis teſtium dubium ſit, an eiuſmodi dies eſſet cùm admitteretur facinus, diem eſſe interpretabimur:non ſolùm quòd mitior interpretatio ſit facienda,quod & tradit Iaſ.in d.l.Titius.§.j.de lib.& poſth. ff. hoc verò niſi ſolito ſigno,vt campanæ ſono nondum dies, aut iam nox eſſe notaretur. De quo docentes prædictis locis,& Bal.in c.ſtatuimus.col.3.de off.leg.Angel.in l.matrem. de probat. Vitalinus tracta.maleſi.tit.de teſtib.char.penul.Ang.Areti.eiuſdem argumēti tractatu, verbo, de nocte,& Cępola, cautela 229. & alij pleriq;.ſicq; in l.j.de cuſto.re.infrà. dies tātū haberi videtur,cùm ſol adeſt,aut matutino quidē tēpore perparū diſtat, quin iam oriatur omnino : & ita cælum lucet, vt iam facilè res diſcerni poſsint, vt cuſtodia reorum ſolicitiùs fiat, ne qua fraus vel dubia luce, vel ſcilicet iam vergente in tenebras die contingat . ſicut & aliâs contigiſſe legitur, vt

apud

apud Florianum in disput.incipien.Inquisitus de crimine capitali.& alibi sæpe similiter. Nec ab re est, quod suprà diximus ex cap. 7. Prouerbiorum, vt ibi pleniùs licet videre. Faciúntque inter alia, quæ notat Georgius Venetus Problematum sacrorum Tomo 6. sectione 5. nume.196. & sectione 10. nume.436.& alibi similiter & alij,& nos quodam loco latiùs.
25 Porrò in † operis præstandis, diu tantùm habetur, cùm sol est super terram.l.ij. & ibi nota.de annu.lega.ff. & definitum est aresto relato in stylo Parlamentario.142. Idque traditum in eo obtinere, qui spopondit aliquot diebus librum scribere, Ange.& Ioan.Forocorneliensis in l.stipulationes commodis. de verbo.obliga.Alexan.in l.non minorem. infrà de transact. Deci.in cap.consuluit. de offic.deleg. quandoquidem diurnæ & continuæ sunt operæ. l.j.& iij. de oper.liber.ff. & psal.103. vbi habetur: Ortus est sol: exibit homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. & scilicet conceditur aliquod tempus diei preparationi primùm,& relaxationi denique ipsius operis: ne & multùm iusti simus, contra præceptum Sapientis,omnia acerbiùs exigentes. Facítque l.cùm patronus.in fin.de oper.lib.ff. & quod tradit Barto. in l.pen.in-
26 frà de iure fis. Cæterùm,† dignissima res omnium Missa,quæ diu tantùm regulariter celebrari debet,in aurora statim celebrari potest: vt tradunt Cardin.sancti Sixti in cap.nocte sancta.de consecra.distinct.j.& Clauas.in summa,verbo,missa.§.
27 41. & sequ. ac res omnium amplissima † iudicium,quod tantùm diu exerceri congruit.cap.consuluit.de offic.deleg.Iustinianus nouella 82.quæ dicitur de iudicibus,iubet iudices matutinos statim,hoc est à summo diluculo,in porticibus patentibus,vt fiebat apud Hebræos ad portas, exercere in crepusculum vesperum,quod dicitur vespertinum, & prorsus scilicet crepusculum. In quo quidem desinerent propter dubiam & iam non satis suffragantem lucem,& emergentes tenebras, in quas domum commodùm se reciperent, & fortè vitarent insidias,iam tum,vt dictum est aptiores,malorum scilicet,à quibus,bonis, præcipuè iustitiæ ministris nullibi non timendum est,perinde vt scopis à sagittis,cap.qualiter. de accus. Vnde &
28 dici potest longiùs † redire habentibus magistratibus Romanis inconueniens fuisse vespertinis temporibus in publico esse.

ex quo

ex quo quinque viri constituti sunt cis Tyberim & vls Tyberim,qui possent pro magistratibus fungi: vt habet Pomponius in l.2.de orig.iur.ff.& quod tum etiam,ceu diu, ius dici possit, verba insinuant mirè consonantis prædicti c. consuluit.quæ sic habent,Nos tamen eam procedendi horam congruam intelligimus,ex qua posis ante noctis tenebras perficere, quod incumbit. quod scilicet si fieri nequeat, censet quod antè dicitur,in diem expectandum potiùs subsequentē.

29 Quod cùm non facerent Iudices,de quibus† loquitur Sophonias,sed potiùs captarent noctis tenebras, quæ voce vespere, scripturæ more,designantur, vt commodiùs iniquè ipsi iniqui agerent,ait sacer ille Vates cap.3. iudices eius lupi vespere,non relinquebant in mane. ideóque dicit illis Dominus per Hieremiam cap.21.Iudicate mane iudicium.quanquam latiùs patet quod hîc mane dicitur, Hebræum לבקר quod exponere licet,&,à mane:&:in mane,in luce,in die:iuxta etiam vicissim quod habetur Exo.18.

1 *Nulla penitus nec simili.*) Nota cùm multa† relicta sint similia, quæ tamen superflua non viderentur, vt dictum est in.j.constit.§. quibus. dictionem penitus quantumuis etiam auctam negatione aliqua,non ea etiam excludere, quæ cum ratione manere possunt.

Cùm nemini uenit in dubium, quòd repetita prælectio probauit hoc satis ualidum satisque esse formosum. in antiquis etenim libris non solùm primas editiones,sed etiam secundas,quas repetitas prælectiones ueteres nominabant, subsecutas esse inuenimus. quod ex libris Vlpiani uiri prudentißimi ad Sabinum scriptis promptum erat quærentibus reperire.) Hinc primùm
1 notare† licet, non esse quicquam curiosiùs & morosiùs dicendum vel scribendum, & vel semel diligenter repetitum satis videri comprobandum:& hoc vel quantum attinet ad ipsum qui dicit vel scribit autorem,de quo ait Iuuenalis:

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Aut quantum attinet ad ipsa vel verba vel scripta, de quibus ait Plin.quòd opus nimia cura atteritur magis, quàm expolitur:seu quantū attinet ad eos,quibus dicitur,de quo Aristote
2 les in Rhetoricis ait:Conturbat† audientem quod sæpe dicitur.& sunt multa similia, & vulgata. Verūetiā scilicet inde notabimus diligēti ac repetita,si opus fuerit,cura vnūquodq;

agendũ,quod fuerit probandũ:ac sic non minoris sed pluris etiam faciendã compositionẽ,quæ postquàm edita est, semel.
3 † rursum correcta & emẽdata editur, autoribúsque ipsis,vel ab alijs,vel à seipsis,id minimè probro dandum. in quo sic Polystratus apud Lucianum dialogo de imaginibus ait: Ne putes hoc dedecori tibi,si orationẽ iam editam adhibita lima re
4 tractes.quandoquidẽ hoc Phidiã † quoq; fecisse perhibẽt,quo tẽpore apud Eleos Iouem iam absoluerat: stetisse enim illum post ianuã,vbi primũ opus in lucem productũ hominibus vi sendũ ostendisset,subauscultasséq; quid quisq; spectantiũ laudaret aut reprehenderet. Cæterùm hic quidẽ nasum reprehẽdebat quasi plus æquo crassiorẽ,aliusverò faciẽ,aliud alius. Vnde digressis ijs, ipse semet cõcludens, eam imaginẽ emẽdauit ad multorũ opinionẽ,ratus vtiq; haud contemnendũ populi tam numerosi consiliũ, sibíq; persuadens necessariò multos plus vno videre,tametsi ipse semet Phidiam esse non ignoraret. Adhæc Politianus lib. 5. epist. ad Bartolomeum Schalam:Nõ minor est,ait,eo nomine vel Hippocratis, vel Ciceronis,vel Augustini gloria; quòd publicata diu à se quædam nouis subinde editionibus damnauerũt. déq; Augustino Edoardus Lexus in Apologia sua,inquit,plus vel hoc vno nomine,quòd recãtauerit quędã,illi ecclesiam debere,quàm quòd tot insignia volumina ediderit:cùm eo fidem fecerit idem voluisse præstare in cæteris si malè habuissent. Vnde retractando quædam cætera suo iudicio visus est comprobasse. ac vt
5 † nihil magis abrogat fidem autoris, quàm errata defendere: Ita nihil magis conciliat,quàm agnoscere & emendare. Nec abre est,quod ipse Augustinus epist. 7. taxans dictum à Tullio de quodam, Nullum vnquam verbum, quod reuocare vellet, emisisse, laus, inquit, quamuis præclarissima videatur: tamen credibili id est de nimium fatuo, quàm de
6 sapiente perfecto.nam & illos, quos vulgò moriones † vocant, quantò magis à sensu communi dissonant, magísque absurdi & insulsi sunt, tantò magis nullum verbum emittunt, quod reuocare velint. quia dicti mali, vel stulti, vel incommodi pœnitere, vtique cordatorum est. sed si in bonam partem accipiantur, vt quempiam talem fuisse credamus, qui cùm sapienter omnia loqueretur, nullum

vnquàm

vnquàm verbum,quod reuocare vellet,emisit,hoc potiùs de hominibus Dei,qui spiritu sancto acti,loquuti sunt,quàm de illo,quem sic Cicero laudat,saluberrima pietate credendum est.Insuper cũ hîc dicitur Vlpianus vir prudẽtißimus,notabitur, decere virum doctum probúmque commendari, argumento scilicet sumpto nedum ab autoritate simili, verùm etiam exemplo per se rationabili, quod est optimum.l.j. ff.de orig.iur.in eóque Præposit.ad c.neque.9.dis. Ratióque hîc est
7 maxima, quam Ethici † quique docuerunt, virtutem solam maximè laude dignam esse,& honorem ac præmium virtutis esse,quod & notat Ioan.à turr. in c. ius militare. dist. j. & Feli.in c.cùm quidam.de iureiu. præclarè Cicero de finibus bo.& mal.lib.5.Omnis,ait,honos,omnis admiratio,omne studium ad virtutem, & ad eas actiones, quæ virtuti sunt consentaneæ, refertur:eáque omnia, quæ aut ita in animis sunt, aut ita geruntur,vno nomine honesta dicuntur.vnde honesti
8 & virtutis † studiosi,homines dicuntur, non autem virtuosi, vt notauit Philelphus epist.lib.7.etsi iam ea voce multi disertißimi viri sunt vsi. Cæterùm, Perbonus ouiliarum lib. 6.in adagijs, doctos probos venerandos ait. & meritò quidem, cùm cæteros excellant quasi singulares quidam dij inter ho-
9 mines dati.habétque certè venerationem iustam,† quicquid excellit,vti scripsit Cicero lib.j.de natura deorum.& hûc cõmodum est,quod habetur Daniel.cap.12. quod docti, vel qui docent alios, fulgebunt sicut splendor firmamenti, & qui multos ad iustitiam conuertunt, sicut stellæ in seculum & perpetuò,scilicet,erunt.vnde ijs aureola quædam serta,vti & virginibus,& martyribus, parata aiunt Theologi. de quibus Paraldus in summa vitiorum & virtutum lib.j. par.3. tracta. 3.cap.11.& alij alibi.déque hoc viro ita scripsit Aelius Lampridius in Alexandro: Vlpianum pro tutore habuit,primùm repugnante matre,dein gratias agente. quem sæpe à militum ira obiectum purpuræ summè defendit. atque ideò summus Imperator fuit, quod eius consilijs præcipuè Rempu.rexit. eundémque assessorem fuisse Alexandri principis etiam scribit Eutropius lib.8.& præfectum constitutum ab eodem dicit Spartianus in Pescenio nigro.quare ipse quoque Imperator in l.4.infrà,de contrah.& committ.stipul.eundem Vlpia

num prefectum & amicum appellat. Similiter laudatur à Modestino in l.2.§.vlt. & l.4.& l. scire oportet. §.sed & si.de excus.tut.ff. ibique Scęuola pariter. quà re itidem laude ampla
10 dignus est † Modestinus, qui Vlpianum Papiniani condiscipulum nominare in scriptis suis, atque singularibus titulis ornarę & prædicare non erubuerit. quod quia non fecerint plerique, vituperātur, summi etiam habiti autores & Philoso-
11 phi, Xenophon videlicet & Plato. † quem ipsum, si dijs placet, Philosophorum deum adeò etiam inuidia laborasse, vt concupiuerit libros illius ac Democriti extingui, refert Crinitus de honesta disciplina libro tertio cap.j. & Menonem, quem Xenophon expeditionis Cyri minoris libro tertio pessimum descripserat, suo dialogo de virtute celebrauerit, vt in ipsum Atheneus adnotauit.

Hi sunt inuidiæ nimirum, credite, mores,
Vt sua quàm rarus tempora lector amet.
Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit.

Vera Nasonis sententia, vt commodè inquit Ioan. Camertes in vita Solini, plura similia referens. Laudandi igitur præ
12 † cæteris & hoc nomine Iureconsulti nostri, & in præclarissimum humanitatis exemplum habendi: in quibus sunt quodammodo etiam, quanquàm fratres, verè ingenui ac nobilis sanguinis, Angelus & Baldus. quorum hic in consilio 264. dicit venerandum & excellentissimum fratrem suum dominum Angelum. & ille in disput. incipien. vsurarius manifestus. col.5. appellat Baldum dominum iuris vtriusque monarcham, sanguine germanum, alimonia, doctrina, & ætate patrem, vt mittam cętera. Simili item modo commendatur Vlpianus in l. diuo Marco. infrà. de quæstio. ipséque sibi originē scribit in l.j.ff. de censib. Ornatur etiā Iulianus in l.2.§. si quid igitur. de vete. iur. enucl. & in l. inter antiquam. de vsur. infrà & in authē. qui fil. sint leg. in princi. & Paulus in l. etsi cōtra. de nupt. infrà. præsertim autem Papinianus l. cùm virum. & l. cùm acutissimi. de fideicommiss. infrà & alibi. quē præterea vix aliquando inuenire est notatum, sed alios quidem aliòquin maximos, & eorum opinionem illius postpositam opinioni, vt in l. in quæstione. infrà de sent. pass. & fecerat consti
13 tutionē † cū Valętiniano Theodosius: quę etiamnū in Codice Theo

Theodosiano legitur, vt in quæstionibus iuris, existentibus adinuicem Iureconsultorum opinionibus contrarijs, si nume rus eorum æqualis esset, præualeret ea, in qua Papinianus esset. Cæterùm hic vt singulos vinceret, ita cederet duobus, iuxta scilicet adagium: Ne Hercules quidem contra duos. Notæ
14 † item Pauli atq; Vlpiani in Papiniani corpus, hoc est opera, factæ sicut & anteà statutum erat, inualidę essent. sed nunc scilicet complanatis omnibus eadem tributa est autoritas, l.j. infrà de vete.iur.enucl. proinde etiam animaduertere licet non vsqueadeò laudandos esse & honorandos probos & doctos, vt eorum traditionibus ita fidamus, vt negligamus disquirere, cùm opus est, an ita res se habeat, neq; audeamus in cõtrariam ire partem, si visa sit melior, ac quod verum videbitur in medium proferre, si dubitauerint ipsi, vel prorsus nihil dixerint.
15 Is enim honos tantum † Deo & Ecclesiæ catholicæ deferẽdus est. quibus quidẽ prorsus nos submittere debere capita nostra hagiographa voluerunt: secũdum tradita præclarè inter alios
16 ab Alph. Castrensi lib.j. in omnes hæreses. Cæterùm † alijs non magis, quàm nobisipsis credendum est, in omni scientia quidem, cuius ad modum cõmunem humanæ capacitatis expers non fueris. etiam natura ipsa dictante, vt alicubi sentit Aristoteles, non tam aliorum scriptis vel dictis fidendum est, quàm propriæ considerationi, diligenti, scilicet, & modestæ, ac piæ, aduocato auxilio Dei, non temerariæ: secundum quod monet sacer adagiographus: Vt habeamus fiduciam in Domino, & ne innitamur prudentiæ nostræ, hoc est pręsumptioni, quam
17 pessimum magistrum † ait beatus Hieronymus. Porrò huc spectat, quod ait Horatius lib. epistol. primo:

Et mihi res, non me rebus submittere conor.

Et Francis. Philelph. lib.9. epist. Ego neminẽ mihi Deũ facere cõstitui: id est nulli autori adeò assentire, vt Deo, neq; si mihi aliter videtur, nõ amplecti quod verius fuerit, qd' & dictũ est:

- Nullius iurare in verba magistri.

D. Augustinus lib. de magistro, cap.10. vt æquum est bene con
18 sideratis perspectisq; rationibus † cedere: ita incognita pro cognitis habere, periculosum. Et contra Academicos lib.3. ca.15. Noli plus assentire, quàm vt ita tibi adparere persuadeas, & nulla deceptio est. & plura similiter libro de ordine secundo,

cap.9.& in epist.112.cap.j.& apud Gratianum in cap.neque.&
cap.ego. distinct.9. Conuenit & quod ait beatus Chrysost.de
dignitate sacerdotali,lib.2.cap.4. Accidit,inquit,falli multo-
rum opiniones, à quo periculo libera est vera discusio. ad
idem quod ait Psalmographus: Nolite confidere in homini-
bus.& Ieremiæ 17.cap.Maledictus,qui confidit in homine.Et
sunt multa similia. Item Cicero de senectute; Quid stultius
est,quàm incerta pro certis habere,ac falsa pro veris? Et lib.j.
de natura Deorum: Quid tam temerarium,támq; indignum
sapientis grauitate atque constantia, quàm aut falsum senti-
re,aut quod non satis exploratè perceptum sit, sine vlla dubi-
tatione defendere? Vnde etiam aliquando Augustinus: Non
19 audeo † præcipitare sententiam.cap.quæro. 6.quæstio.j. simi-
liter cap.tantum valet.& ibi gloss. 32.quæstio.7. & Vlpianus
in l.j.§.casum.de postul.ff.sed de hoc iam deliberabimus.& Iu
lianus in l.si is.§.vtrum.de reb.dub. Animaduertendum est de
quo quæratur.& facit l.Labeo.de supellect.lega. l.j. §.condu-
ctores.de iur.immu.l.seruum.in princi. de procura.& l.si mi-
hi & Titio.& ibi Socin.de rebus cred. & cap.sciendum.& ibi
Præpos.29.distinct.cap.noli.& ibi Præpos.distinct.9.c.penul.
2.quæstio.j.glos.in cap.fin.de elect.in 6.Anchar.consi.188.co-
lum.j.Benedic.Plumbi.in l.4.§.si ab ignoto.ff.de manumis.bo
nus text.in cap.ponderet.& ibi glos.Archid.& Præpos.50.di-
stinct.cap.legem.ad fin. & ibi Præposi.distinct.53. Quibus &
20 generaliter habetur, non esse † præcipitanter quicquam &
impræmeditatè agendum: sicque festinationem huiusmodi
minimè commendandam,cùm sæpius obsit,quàm prosit. vn-
de & quæ confestim facienda sunt, & ita fieri à lege præci-
piuntur,non sunt præcipiti festinatione expedienda.l.tutor.j.
§.fin.de admi.tuto.& beatus Chrysosto. in Pauli dictum: Vti-
nam tolerassetis paululum quiddam insipientiæ meæ:ait,non
oportere quæ dicuntur simpliciter percurrere, sed vnum-
quodque accuratè disquirere, cùm id lectum simpliciter of-
fendat auditores, peruestigatum verò eximiam aperiat senten
tiam. Inquit & Seneca lib.epist.4.nihil ordinatum esse,quod
præcipitetur & properet.Itaque Baldus notat text.l.vlti.plus
21 vale.quod agi.infrà.contra Doctores, qui consilijs † aliorum
non lectis,statim se subscribunt.& rectè quidem, cùm re non

non intellecta eo ipso idem consulere intelligantur, vt & notat Angel. in l. si quis ex argentar. de eden. ff. sicque alios decipiunt, ac nonnunquàm seipsos, cùm & si negent se ea intellexisse ita se habere, vt habent, præsumantur se scientiam eorum habuisse, quibus se subscripserunt, & contrarium probare ipsi teneantur: vt tradit Iaco. à sancto Georgio in autent. si quis in aliquo. de edend. infrà. ex eóque textu Baldus ait & Salic. no-
22 tabiliter, † iterationem fieri & repetitionem in depositionibus testium, propriæ lectionis scilicet loco, si vel ipsi legere nesciunt, quò signo suo, vt possunt, se subscribant: iuxta l. stigmata. de fabricē. infrà, cum ibi traditis. & simi. Et omnino, vt nihil inemendatum relinquatur, & ita, secundum quod prius hîc habetur, repetitum quidem satis validum censeatur. Vnde & monet expresßim Bald. prædicto loco, & Zasius in l. ij. verbo, testantur. de origine iur. ff. vt simus cauti, ne non lecta vnquàm scripturâ nos subscribamus, & scilicet animaduersa, iuxta prædicta, ac tota perspecta, vt habet l. inciuile. de legib. ff. nanque vt Iustinus in admonitorio gentium dixit, exacta re-
23 rum perscrutatiò, ea † etiam, quæ sæpenumerò rectè se habere visa sunt, alia omninò, quàm prius adparuerant, ostendit. quandoquidem veritatem ipsam diligentior examinatio extorquet, & vt vulgò dicitur ex Esaia, Vexatio dat intellectum.
24 Cæterùm † exemplis magis credunt homines, & vulgò dici solet, exempla magis mouere, quàm verba. quando certè certiorem nobis ostendunt veritatem, experientia ipsa optima rerum magistra. Itaque ait Columella de re rustica, lib. 12. capi. j. Non rectè quicquam sine exemplo doceri, aut disci. Ideò & Chrysostom. homilia quadam in Lucam de diuite, inquit: Do vobis aliquod exemplum, vt exemplis poßimus cognoscere veritatem. & Grego. Nissenus lib. de creatione hominis, cap. 16. Melius est exemplis enucleare sententiam. sapiens Hebræus Prouerb. 24. & exemplo didici disciplinam. & in hoc Gregorius papa lib. homiliarum, homil. 38. & Sedullius quodam loco, in epistolas Pauli. §. aliæ autem. & ibi not. de actio. insti. Bald. ad l. j. in princip. de iusti. & iur. l. damni. ij. in fin. de dam. infect. ff. atque Iustinianus hoc loco eam ob rem exem-
25 plum subiecit. Ergo in re proposita, † animaduertere est lapsum Vlpianum, quoniam secutus esset Proculi non leuis au-

26 toris opinionem,illam non excutiens,poſteáq; ſimiliter † Voluſium Metianum religione ſentētiæ ipſius Vlpiani ductum, & ita vt eum præter veterem ac bene fundatam Iuris peritiam anxiè diligeret, vt retulit ipſe Vlpianus in l. diui fratres.de iure patro.ff.ſicque videmus in pleriſque,qui vel Bartoli nimiùm affecti ſunt autoritate,ſúntque vel ſpecie humilitatis,quam dicunt,tam puſillanimes ac vecordes,vt dicta cæterorum audacter quidem allegent, & veluti oraculum venerentur, nulla quæſita ratione, ac ne textui apertiori audeant conſentire, aut ex ſeſe ratiocinantes quantumuis probabile quicquam & rationi conſentaneum videatur confidenter
27 proferre,dixeris toga pileóque † tenus Iureconſultos, tanto nomine indignos, ſimiles Simijs, quæ cùm homines non ſint, formam tamen humanam mētiuntur: vt & apud Gratianum habetur in cap.ſi quis iniq.j.quæſti.j.quos ſapientiam ſibi adimere & more pecudum duci, qui ſcilicet inuenta maiorum ſine vllo iudicio probant & ſequūtur,ait Lactantius Firmianus. eoſdémque Ioan. Gerſonenſis quodam loco, vanos dicit, cùm non minorem autoritatem habeant Doctores viuentes,
28 quàm mortui.& certè vocem viuam † digniorem eſſe mortua dicitur in §.ſi verò tale.in autenti.de inſtru.caute.& fide.& in eo Marſil.not.459.taxant huiuſmodi homines,& noſtrorum plerique,vt Caſtren.in l.Clodius. de acquir.hæred.ff. Ponzinibius tracta.de lamijs & excell.iur.col.5. & Ioan.Neuizanus in indice librorum iuris,ad finem. excuſat autem Barbatia in Ioannina ſua,col.160. Ioannem Ananianum in hoc ipſo, quo culpatur à multis, quòd ſcilicet fuerit recitator aliorum, & non nouorum inuentor:quoniam id ſit donum paucorum. In ídque vſurpat,vt ſolet fieri in ſimilibus,illud Maronis:

Adparent rari nantes in gurgite vaſto.

Et ſi huic excuſationi addere quicquam libeat,id etiam addere licet,quod Apher Comicus ait,nihil dici, quod nō dictum ſit prius. & Sacriloquus: Nihil ſub Sole nouum. Quanquam ſanè noua intelliguntur nobis, quæ vel aliorum adminiculo non lecta,vel audita vtiliter excōgitamus, & nouiter accommodamus induſtria noſtra, ſícque præcipuè laudanda. Vnde & Philelphus lib.epiſto.12. Sunt,inquit,aliqui hebeti adeò & obtuſo ingenio,vt nihil inuenire audeant,ijs contenti duntaxat,quæ

29 xat, quæ Prisci scriptores excogitarunt. At licet posſint † doctrinæ ac diligentiæ cuiuſpiam iure laudari, quòd acutè ab alijs inuenta intelligant, & memoriter in medium proferant, nullam tamen ingenij sui præstantiam declarant, cùm id tamen imprimis requiri soleat. iisque scilicet perstringi animaduertere est, qui ingeniosa aliorum viuentium scripta vel dicta sugillant, vel paruifaciunt. quandoquidem, vt de Pompeio Saturnino sui temporis scripsit Plinius Cæcilius, non debet operibus docti hominis obesse, quòd viuit. Hoc enim prauum malignúmque est, non admirari hominem admiratione dignisſimum, quia illum & videre & complecti, non tantùm laudare possumus. Porrò verò ideò ab ingenuæ nobilisque mentis hominibus multi omnis generis, vt commodum est, vel memorantur specie quadam laudis & honoris. Itaque Cicero pluribus orationibus, plures memorans, eos se ait ho-
30 noris causa nominare. quē & Plutarchus † scribit omnes, qui eius ætate aut eloquentia, aut doctrina præstarent, vnicè dilexisse, & aut scribendo, aut orando celebriores reddidisse. Hincque nos eos, qui piè haud pridem excesserunt ab hac vita, honorificè nominamus, simul illis benè precantes ita: Cui parcat Deus: aut: Cuius animam habeat Deus: & si omnino eorum animam, vt paruulorum, qui innoxia in ætate sacrosancto baptiſmatis lauacro regenerati decesserunt, habere putamus, simpliciter Deo commendantes. sicut de Prophetis maximè Moyse dicunt Hebræi: Sit, vel, Est super eo pax. & similis mos est Græcis, vt legisse meminimus apud Lucianū quodam dialogo: Felicis memoriæ vxor mea, sicque vel bonæ memoriæ, dictum sæpenumerò in pontificio iure reperire
31 est. memorantur autem & in nostris iuris capitibus † nimium veteres & quodammodo à iure nostro seu professione alieni autores multi, vt Solon & Draco, prisci illi legumlatores Græci quidem, & qui primam quandam originem præstitisse huic iuri narrantur: in l. quod ait lex. ff. ad legem Iuliam de adulter. facitque huc l. secunda. de origine iur. & §. & non ineleganter. de iure natura. gentium & ciui. Institu. Item verò Cicero in l. littus. de verborum significatio. in l. in quæstione. ad legem Iuliam maiesta. in l. Fulcinius. ex quibus causis in possessio. eatur. & alibi. & Fenestella, quem quidem

S perijsse

perijsse plerique opinantur, in l.prima, de officio Quæstoris. mitto Senecam, qui in clientelario iure, Feudorum dicto, citatur titu.quibus causis feud. amitta. cap.primo. Item Homerus in l.prima, de contrahend.emptio. & alibi.quem & Iusti-
32 nianus † in procœmio Digestorum, patrem virtutis appellat, & per antonomasian apud Græcos poëtam dici ait: vt Virgilium apud nos: in §. sed ius. de iure natura. gentium & ciui. Institu. Item Plato in l.secunda. de nundi. summæ autoritatis & prudentiæ dictus. Item Demosthenes, maximus appellatus, etiam in l.aut facta. de pœn. atque Hippocrates in l. septimo.de statu homi.& in l.intestato.de suis & legit.hæredib. ff. cuius etiam autoritas dicitur maxima. ex eiúsque sententia ius definitur ibidem. vt & factum est posteà in autenti. de restitutio.& ea,quæ par. vt discere licet vel ex traditis per Andr.Tiraquellum in l. si vnquàm. verbo,susceperit. nume. 171.de reuoca. donation. infrà. & per nos Polyidriæ libr.14. sicque in regula illa cancellariæ pontificiæ, de infirmis non resignantibus, vt in eam docet Gomesius qq.9. & 25. Ex qui-
33 bus manifestum est quoque Iureconsultum oportere † esse, quod vulgò aiunt, omnem hominem,eum scilicet, quod dicitur de Poëtis, nosse oportere, quantum fieri potest, omnia quippe cùm de omnibus aliquãdo statuere habeat quicquam, in hac tam ampla & varia disciplina, quanquàm omnino nemo est omnis homo,non omnes sunt omnibus artes, vt Baptista ait.confutatúrque satis supérq; sententia quæ habet, Abijciendos esse penitus iuris studioso humaniores autores, quasi
34 obsint.† quin & vulgares istos vel poëtas conducere, neque esse contemnendos suo docet exemplo præcipuus Doctorum nostrorum Bartolus Dãtem Hetruscum allegans in l. prima. colum.3.& deinceps.de dignita.infrà. quanquàm sanè præci-
35 cipuis præcipuè incumbendum est.† nimirum & musis, hoc est artibus & disciplinis id nomen est, ἀπὸ τοῦ ὁμοῦ [illegible], hoc est, à simul existenti, vt crasſiùs dicam, & subseruiente mutuò vniuscuiusque virtute, vt indicat Plutarchus. vnde & dixit Proclus non esse scientiam scientiæ contrariam, támque id abesse, vt etiam notio notioni seruiat, scientiæque inferiores omnes superiori ministrent: Adhæc Cicero libro iij.de Ora-
36 tore; † Omnis, inquit, doctrina ingenuarum & humanarum artium

artium vno quodam societatis vinculo continetur. & in oratione pro Archia Poëta: Omnes artes quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quasi cognatione inter se continentur. itaque qui à teneris ætatibus, eruditionibus varijs instruuntur, omnibus literis agnoscunt easdem notas, communicationémq; omnium disciplinarum, & ea re faciliùs omnia cognoscunt: vt ait Vitruuius lib.j.c.j. & propterea inquit Budæus, in tract. de iust. & iur. ff. ab Vlpiano definitam iurisprudentiam, vt sit diuinarum atque hu
37 manarum rerum notitia: † quoniam Iureconsultum encyclopædiam absoluisse oporteat. & similiter ait inibi Salomonius, ea definitione taxari nostram, prôpudor, impudentiam, quando iurisprudentis appellatione, superbimus, intereà tamen omnium rerum præter legum lectionem despicientes, & solis Bartoli & Baldi scriptis contenti, ipsarum legum ita etiam verba & sensus parui facientes. inde etiam dici posse videtur iureconsultum, doctoris titulo maximo nunc vocatum, esse posse magistrum grammatices. id quod defendit Rebufus in l. maioribus. quemad. ciuil. munę. infrà. verum
38 enimuerò quoque † tandem laudandi sunt honorandíque probi & docti, vt similes cæteri efficiantur, ipsíque si viuunt meliores. quandoquidem, vt ait Tullius, Tuscul. questio. q. j. Honos alit artes, omnésque incenduntur ad studia, gloria. iacéntque ea semper, quæ apud quosque improbantur. & sic Valer. Maxi. Virtutis vberrimum alimentum, est honos. notat & multis Rosatus in suo dictionario, virtutem augeri
39 æmulatione. quæ certè non nisi de laude nascitur. & † virtutem laudatam crescere tradidit bonus Curtilis lib. de nobilitate, par.2.col.6. sicut etiam vitia minui & corrigi reprehensione, ait Petr. Montius lib. de veritate vnius legis 11. cap. 20. vnde ait beatus Hierony. in epist. de laudibus Asellæ ad Marcellam: nemo reprehendat, quòd in scriptis nostris aliquos aut laudamus aut carpimus, cùm & in arguendis malis sit correctio cæterorum, & in optimis prædicandis bonorum ad virtutem studia concitentur, itaque Innisens diœcesum episcopus, quæ bene se habere offendit, laudare debet, quæ secus, taxare: vt docet cap. j. §. sane. de cens. in 6. & in hoc Bertachi. trac. de episco. lib. 4. par.2. quest. 7. & similiter dicitur

40 in l.diuus Adrianus.ad fi.de custo.re. ff. Atque† vt flaccescit sine laude virtus, vel apud eos, qui non sunt in ea solidati, ita certè prauitas accenditur laude: & qui vel assentando prauos laudat, deteriores efficit: & delictorum, quæ ab ipsis admittuntur, fit reus, vt ait Apollonius apud Philostratum lib.7. & est tex.in l.j.§.pe. de ser. corr. ff. & in c. sunt nonnulli.46. dist.vnde perspicuè adparet, virtutem tantùm laudandam, vel propter eius dignationem, vel etiam vtilitatem, quæ eius laudatione contingit.vnde & sacra, Rectos decere collaudationem admonēt.facítq; l.3.infrà.de off.recto. prouinc.& Lucas penna. in l. fi. de munerar. vbi & tradit, literis publicè commendandos eos, qui se in officio laudabiliter habuerunt.

41 Et rectè id † quidem, cùm non paruum sit iudicium probitatis inculpata vita magistratum gessisse. quandoquidem ἀρχὴ ἄνδρα δείξει, vt est vetus Biantis dictum, quod benè se habere docet Aristoteles Ethicorum lib.5.cap.j.

§.*His igitur numinis nostri.*) Sic & ad Cæsarem Augustum scri-
1 bens Vitruuius initio sui † operis de architectura numen eius dicit. & alij plerique similiter. quanquam propriè Dei tantùm numen dicatur, vel ob eius indeficientem bonitatem, vel eiusdem infinitam potestatem, optimi maximi dicti. Vnde notare licet principem in terris numen esse quoddam, & quoddam numen eius esse, & diuinitatem, quæ quodammodo humanitatem superet. hominum enim propria est vitæ communitas, & societas, & subiectio. vt qui ab vno Adam viro, & vna fœmina, substantiæ eiusdem & figuræ sint, omnes creaturæ, vnum Deum & Dominum,
2 longè excellentiorem & superioris† naturæ creatorem agnoscentes. Fit autem diuina voluntate, vt nonnulli, quanquàm homines, veluti dij cæteris imperent hominibus, & cæterorum curam agant principalem, Deo propriam. vnde & dij non ineptè dici possunt. vt & sacerdotes. qui plurimum diuinæ potestatis & autoritatis in alios quosque homines ha-
3 bent, c.cùm ex iniuncto.de hæret.& idem † de doctoribus accipi tradidit cum Barbatia Barptol. Bologninus in auten. habita.col.12.infrà.ne fil.pro pat. Ac de omnibus bonis respō dit Domitiano Imperatori Tyaneus, quod Dei cognomine honorentur non malè, vt retulit Philostratus lib. octauo, & planè

& planè Psal.81.legimus dictum.Deus stetit in synagôga deorum,in medio autem deos dijudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem,& facies peccatorum sumitis? & cætera. vt intelligamus de magistratibus dictum illud quod sequitur, Ego dixi: Dij estis. quod & à docentibus sacris ex professo ad literam de Iudicibus exponitur: iuxta illud quod & dicitur in Exod. cap. 22. Ad deos vtriusque causa perueniet. Et: Dijs non detrahes: & similia. In hócque Origen. Adamantius in Exod.homil.8.& ex eo Menrad. Moltherus ad Alcianitium lib. 3. & alij alibi. Id verò fit, participatione scilicet, vt cùm vnus sit Deus natura,participatione tamen plures sint: & tantò magis, quantò plus participant eiusmodi diuina. vt & docet Boëthius de consolatione Philosophiæ, libro 3.& 4.& ad hoc respexisse videtur Apostolus,cùm dixit ad Corinth.priori epistola,cap.8. Et si multi dicuntur, quemadmodum sunt dij multi,& domini multi: nobis tamen vnum esse Deum patrem & dominum Iesum Christum. In quo & nos supra ad priorem & totius Codicis inscriptionem. Neç ab re Ouidius Metamorph. lib.15.

-Cæsar in vrbe sua Deus est.

Quod & de quolibet iudice ordinario dici posset, iuxta prædicta,& cùm princeps dicatur suæ, hoc est eius, in qua iudex est,ciuitatis,textu l.spadonem. de excusatio.tutor.ff. notat & Bartol. in extrauagan.ad reprimend. verbo, totius fidelitatis.
4 quòd† princeps est Deus in terris. & similiter Baldus in cap. primo. §.vlti. de prohibitio.feud.alien. per Federicum. & in cap.primo.in princip.& §.primo.de pace constantiæ. Ad hæc multa Francisc. Lucanus tracta. de priuileg.fisc. casu 136. & sequen. atque Cornel. Agrippa occultæ Philosophiæ lib.ter-
5 tio,capi.trigesimoquinto. Itaque † constitutiones à principibus factæ, diuales dicuntur, mox infra in hac constitutione, & alibi. Præcipuè verò adhuc, quæ pro re diuina, & in diuinæ legis temeratores hæreticos sanciuntur.l.fina.infrà de hæretic. omniáque à principibus recepta in commune bonum pro legibus edita diuina dicuntur. cap.fina. 16.quæstio.3. Archidia.Geminia. & Franc. in cap.secundo. de præscript.in 6. etiam scilicet, si multa primùm ab Ethnicis ac plerisque pes-
6 simis prodierunt: quando vt † & ipse Ethnicus atque atheos

Plinius inquit lib. 27. plurima inuenit in vita Deus medicamina etiam cùm homo inuenerit. & Aristoteles ex professo lib. de causis, omnes causas illuminari à lumine primæ causæ docet. idque multis rationibus demonstrat Sympho. Champerius libro de vita cælitus, cap. 9. nec desunt sacra, quæ aiant, Deum, solem facere oriri super bonos & malos, & pluere super iustos & iniustos: Matth. cap. 5. Et vniuersa æquè euenire iusto atque impio, Ecclesiastis cap. 9. & omnem sapientiam à Deo esse, Ecclesiastici cap. 9. & omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse, descendens à patre luminum. Vnde & beatus Augustinus ad beatum Hieronymum episto. 28. à quocunque inquit, verum dicitur, illo donante dicitur, qui est ipsa veritas. & in prœmio operis de doctrina Christiana: nouerat Moses, tametsi cum eo Deus loqueretur, consultus ab socero suo, scilicet vt habetur Exod. cap. 18. ex quacunque anima verum consilium processisset, non ei, sed illi, qui est veritas, incommutabili Deo scilicet tribuendum. Et hoc gratia gratis data, & bonis & malis communis, alia à

7 †gratia gratum faciẽte, quæ tantùm bonis competit, à Theologis dicitur, vt per Petrum Lombardum in epistolam Pauli ad Romanos, & beatum Thomam in priorem ad Corint. capi. 12. & ad Ephes. cap. j. lectione ij. & alibi, & beatum Antoninum historiæ suæ par. j. titu. 6. cap. 5. §. ij. & Barbatiam in cap. eam te. colum. 6. de rescrip. & ad id pertinent notata in cap. j. de reliq. & venera. sancto. cum simil. Dixerit autem aliquis ijs obesse, quòd leges multa permittant mala: sicut docet Bartol. in l. omnes populi. 3. quæstio. principali. de iusti. & iure. ff. vt, quod vsurpatissimum est, vnusquisq; ad dimidiatum rei precium decipiat proximum. l. item si pretio. §. fina. ff. loca. & l. in causæ. §. idem Pomponius. de minor. & l. ij. de rescind. vendi. infrà. id quod & iure canonico licet, cap. 3. & 6. de emp. & vendi. Idque innoxiè si credamus Croto, in cap. vt animarum. de

8 constit. quo ad eos etiam, qui decipiunt, ea †sola ratione, quòd ad salutem animarum ius canonicum sit constitutum. At id nón præcipit aut docet quenquam ita decipi, sed si fortè fiat, tolerat iudiciali foro: vt maius malum vitetur, non inde volens vsquequaque etiam in foro conscientiæ, quo ceu vltimo hic rimatiùs omnia examinari & agi planiùs oportet excusari, vt

ri,vt per Pantaleonta Calderium ad primam gloss. illius.l.2. de resc.vend.& Fortu.Gartiam in tracta.de vltimo fine iuris ciuilis & cano. nu. 197. Vt mittam alia. Et huc vel maximè
9 pertinet,quod † leges permittant vsuras, vt titulis de his habetur. Idque videtur facere ius canonicum c. salubriter. de vsur. & quibusdam si. quod multi ita planè admiserunt, vt multas absurdas consequentias faciant,nedum contra ius naturale, & planè diuinum, verùm etiam ipsum canonicum, tradentes papam & post eum seculares potestates posse vel Iudæis permittere fœnerari,& ab omnibus illis posse locari domos ad fœnerandum sine scrupulo conscientiæ, vt Barbatia consil.16.par.4. Quod tamen fieri non posse, nec esse vsuram, quòd dicitur in d. c. salubriter & si. adparet cap.super eo.& ibi not.de vsur.& cle.j.eo.ti.vt plenè & ex professo docent omnino videndi Ioan.and. in c. peccatum. de regul. iur. in Mercurialibus.& Alexander à Neuo quatuor cõsilijs quæ reperi impressa post supplemẽtum summæ Pisanellæ dictæ. quibus & annectitur fragmentum liberarum cuiusdam Frãcisci Episcopi Cardinalis Venetini Vicecancellarij summi pontificis continens,non posse ab vllo Mortalium illud concedi,quod & tum petitum erat.& idem tradẽs apposite suffragatur Bernhard.Bustus in defensorio montis pietatis tracta.j.par.j.litera n.alphabeti 2.cum par.3.alphabeti 2. litera h. ad fi. & ad eius propositum scopum, in hoc quod est mons pietatis dictus communi vtilitati piè ac planè prospiciens, Petrus Montius lib. de re milit. 3. cap.34. & Baptista à sancto Seuerino in l. j. de sum. tri. infrà. & Chassa. in consuetu. Burg.tit. des dro. & aper. à gens ma. §. 23. char.4. vers.11. ibi: dic pro limitatione. Item illud simpliciter tradit Marti. Lauden. tracta.de fis. nu.59.& notat Floria.in l.j. de vsur. ff. & satis plenè quoque Antonius à prato veteri consilio suo, quod legitur inter consilia Alex. 45. par. 4. quod & Alexandri ipsius & cuiusdam Ioannis à Zanis proximè sequentibus consilijs comprobatur.vbi præcipuè habetur traditum, pœnam adiectam alicui quantitati soluendæ, in fraudem vsu
10 rarum adiectam censeri.sed† & docetur inter alia quæ ad id præsupponuntur, vsuras intelligi prohibitas iure etiam ciuili, ex nota.in cap. quia in omnibus.de vsur. de quo & doc.

in d.

in d.l.j. vbi & ipsa gloss. de sum.tri.infrà. Facitque Marsilius
consil. 58. & multi recentiores ac veteres de his etiam spe-
11 cialibus voluminibus tractantes autores. Illúdque † constat
quantumuis à legibus censeantur vsuræ permissæ, illas acci-
pi debere permissas leuiori permissionis modo, qui conni-
uentiæ dicitur & dissimulationis pœnæ imponendæ, si fortè
aliquando opus est, ob maius malum vitandum. Quod ita
quidem facit, vt etiam in diuersis personis consideratum re-
ijci debeat, vel minoris electione: vt habet cap. duo mala. &
seq. 13. dist. in eóque l. quoties nihil. vbi gloss. de reg. iur. ff. &
cap. in obscuris. vbi beatus Antoninus. de reg. iur. in 6. quan
12 doquidem tum minus † malum comparatum ad maius, subit
rationem boni, & ita eius electio bona est: vt scripsit Aristo.
Ethicorum lib. 5. & Rhetori. j. facitque cap. Dauid. & seq.
22. quæstio 4. & quod Accursius ait in l. ius pluribus. de
iust. & iur. ff. bonum esse amittere capam, chlamydem di-
xeris, potiùs, quàm occidi à latrone. Equidem in hoc di-
citur Iob cap. j. cuncta daturum hominem pro pelle sua,
Fabulatur etiam commodùm Archidiaco. in cap. statutum.
col. 9. de rescrip. in 6. quòd secundum quosdam dictio, sal-
13 tem, † est coniunctio disiunctiua, tracta à captiuis, qui di-
cunt: omnia nostra habe, saltem nobis vitam concede pro
salute. ad hoc & tex. in cap. consilium. de obseruatio. ieiunio.
& in cap. priuilegia 3. dist. & cap. denique. §. j. & seq. 4. dist.
gloss. Archi. & Præpos. in cap. ab exordio. dist. 35. & gloss.
in proposit. in cap. lege. 10. dist. Bar. in d. l. j. 5. opp. & ibi
cæteri. infrà. de sum. tri. Gartia. d. tracta. de fi. iur. ciuil. &
cano. Syluester Prierius in sua rosa aurea tracta. 3. qui inscri-
bitur de quæstio. impertinen. casu 22. vbi docet olim ea ra-
tione fœnerari permissum Iudæis, quibus tamen & idem
prohibitum est, vt diligenter adnotat prædictus Alexan-
14 der à Neuo. vnde & nulli † fœnerandum, vt aliàs non no-
cendum, aut maioris, vt vel belli vitandi mali causa, per-
missum, secundum quod dictum est, intelligi vult cap. vlt.
14. quæstio 4. Ait verò etiam Prierius prædicto tracta. casu
15. leges non potuisse prohibere omnia, quæ sunt contra
virtutem: quia dantur multitudini, vbi sunt plerique vir-
tute deficientes: ideò prohibere tantùm destruentia homi-

num ſocietatem. & ſimiliter dixit cum Vlrico Ioan. à turre
Crem. in cap. j. diſt. j. & propterea dixit beatus Auguſtinus
15 epiſ. 54. leges ciuiles † medias eſſe inter Chriſtum & diabo-
lum.quæ nihilominus donum Dei ac ſic diuinæ dicuntur,
vel quòd affectu omnino, & re, quantum videtur commo-
dum, Dei voluntati adnitantur, quantum fieri poteſt com-
modè bonum amplecti, malum reijci, vel minoris electio-
ne curantes: iuxta l. 2. & ſi. de legib. ff. & quod ſuprà di-
ctum eſt. Vnde & magiſtratus tolerare poſſe mala quæ-
dam, vt peiora vitentur, tradunt quæſitores illi docti hæ-
reticæ prauitatis in malleo maleficarum, par. 3. q. 18. vt de
lupanaribus fit, & tradetur in cap. inter opera. de ſponſa.
per Baptiſtam in d.l.j. num. 46. & Iaſ. num.57. de ſum. tri.
& fid.cath. infrà.& Campeſium tracta. de dote q.49.videli-
cet, ne nocentior graſſetur, & paſsim vagetur libido,omniá-
que turbentur libidinibus, vt ſcribit beatus Auguſt. lib. de
lib. arb. de quo, & de ciuitate Dei lib. 14. cap. 18. & Ioan.
Ekius, de ſancta Magdalena homilia j.addens tamen hæc co-
ram pijs auribus tractanda ſynceriùs. neque certè ideò pro-
ſtitutis licere debere quicquid libet, nec permittenda eſſe eis
omnia offendicula, quibus imponant ſimplicioribus, cum
ſcandalo iuuenum & puellarum: vt & intelligamus omnino
quantum minùs fieri poteſt,hæc toleranda, & quantum ma-
gis poſsibile eſt, commoda ratione reprimenda, nec ſinenda
omnino,ſi in iudicium veniant, abire impunita. in quo ſanè
competere videtur illud quod ait Leo papa epiſ. 70. ad Ru-
ſticum Narbonenſem Epiſcopum, de eo, qui pœnitentiam
profeſſus,incontinentiæ metu copulam vxoris elegit, quòd
rem feciſſe venialem videatur: in quo tamen inquit, non
regulam conſtituimus, ſed quid ſit tolerabilius, æſtimamus.
aut magis illud, quod ex beato Chryſoſtomo relatum eſt,
31. quæſtio 2. cap. hac ratione. quod permittimus nolentes,
præcipimus: quia malas hominum voluntates ad plenum
prohibere non poſſumus. & quod habetur in cap. cum iam
16 dudum.de præb.cùm † multa per patientiam tolerentur,quę
ſi deducta fuerint in iudicium, exigente iuſtitia non de-
beant tolerari. Cæterùm pro iuris huius Romani, quo plu-
rimùm vtimur, adprobatione diuina, inter alia facit Apo-

stolus spiritu Dei plenus. Imprimis capit.8. epistolæ ad Hebræos,cùm ait: Dicendo autem nouum,veterauit prius,scilicet testamentum. In quo lex prima. & l. cùm in secundo. de iniusto,rupto,& irri.testa.ff.l.sancimus.infrà de testam.Item, cap.9.eiusdem epistolæ,cùm ait: Vbi testamentum,necesse est,
17 intercedat mors testatoris. testamentum † enim in mortuis confirmatum est. aliòquin nondum valet donec viuit, qui testatus est. In quo l.quarta.de adimen.lega. l.cùm hic status. de donatio.inter vir.& vxor. ff. Præterea Actorum 16.cap. cùm ait: Cæsos nos publicè indemnatos homines Romanos miserunt in carcerem: & nunc occultè nos eijciunt? & cap.22. Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare? in quo l.septima.ad legem Iuliam de vi publi.& l.secunda. ad legem Cornel.de siccar.ff. & Alcia.in l.licet capitalis.de verborum & rerum significatio. & multa vulgata, & bonorum autorum complures loci:ac denique Act.cap.25.dicens: Non est Romanis consuetudo damnare aliquem priùs, quàm is, qui accusatur,præsentes habeat accusatores, locúmque defendendi accipiat ad abluenda crimina,quę ei obijciuntur, quod & iuri Hebræis consueto imprimis conuenire testatur quoque ipsum euangelium Ioan.cap.7. ex Nicodemi verbis ad Iudæos, & cap. 8. ex sermone Christi habito cum adulterij postulata muliere. In quo l. si adulterium cum incestu. §. incestum autem.ff.ad legem Iuliam de adulte.l.rescripto. §.si quis accusatorem.& ibi nota.de muner.& honor. Cæterùm, Docto.ad l.si quis in hoc genus. infrà de episcop.& cleri.& l.absentem.de pœn.ff. & quantum ad ciuilia attinet similiter l.5. §.in primis.versic.vlti.de reb.eo. Item Angel. in hoc ad l.reos. infrà de accusa. Benedict.Plumbi.in repeti. §.ad crimen. l.accusatore.ff.de public.iudic.Floria.in disputa.cui initium: Inquisitus.dubio j.parte ij. Platea in l.si apparitor. de cohortali. infrà.Bald.in cap.veritatis.colum.3. de restitu.spoliato. l.eos, qui de modo mulct.infrà.

1 *Nouellarum nomine.*) Videtur loqui de autenticis,inquit Accursius. quos & verum est. quæ tamen non ita à Iustiniano, sed νεαρά, quemadmodum prædixerat, sunt vocatæ, quia tandem ex factis nouiter emergentibus factæ: sub eoque nomine compendiosius à Iuliano Patritio traductæ. Porrò cùm tandem

dem reuiuiscerent legum studia ab incerto autore ad verbum quanta visum est diligentia, traducta authentica libuit nominare, voce & ipsa Græca, & à Latinis anteà autoribus vsurpata, & quòd etiam originariam quandam & solidam notet autoritatem accōmodatissima, vt discere licet ex scriptis à Budæo in cōmentarijs Græcis, & Alciato in Parergis. Hoc nostri primùm nescientes fabulati sunt nouellarum librum alium, fuisse à Iustiniano prius editum, sicut Codicem quem emendatum posteà hoc abrogauit: sicque authenticorum libro posteriore, abrogatum prius à se editum nouellarum librum: ex quo tamen declarationes & adiumenta authenticis non contraria peti possent: vt traditum est à Baldo in auth. hoc amplius col.j.de fideicom.infrà, de quo & Cepola in auth. sed nouo iure. col.3. de ser.fugi. & alij sæpè. refertúrque ex ijs nouellis primùm versis textus à Gratiano in cap.non liceat.19.q.3.cæterùm vide Hermenopulum in sua Epitome tit. j.

§.*Repetita. Cuius scripturam ad similitudinem nostrarum institutionum & digestorum sine ulla signorum dubietate conscribi iussimus, ut omne quod à nobis compositum est hic, & in scriptura, & in ipsa sanctione purum atque dilucidum clareat: licet ex hac causa in ampliorem numerum summa*

1 *huius Codicis redacta est.*) Notare licet † inde, decere cuiusque compositionem & scriptura & sensu facilem esse, quantum fieri potest, atque ideò non verendum quantum oportet prolixum esse. nam scriptura vocis vicem agens, ad proferendam intentionem nostram inuenta putatur. itaque quoad eius fieri potest, perfectè id exequi debet. Et refert Aymarus Ri-

2 uallius historiæ iuris ciuilis lib.5. Sex. Pedium† Iureconsultum ad edictum quinque & viginti libros scripsisse: in quorum vltimo notas non esse literas ait: eóque argumento scribentes syllabas aut dictiones compendiarijs notis confutari, cum è literis syllabæ, è syllabis dictiones fiant: sicut oratio ex dictionibus conficitur: eiúsq; patrem Guigonem Riuallium iureconsultum aliquando dixisse, notas multorum imperitiam excusare, qui in barbarismum aut solœcismum cum alijs modis, tum si promiscuè literis aut casibus vterētur, inciderent, vnde libenter notas dubitantes vsurpant. quarum apud veteres, nostros quidem scilicet, vsus nullus erat: sed

T 2 vtce

vt celeriter comprehenderent, voces quasdam è communi consensu primis literis notauerunt. Quod etiam tanquàm periculosum vitandum in iudicijs siue rescriptis tradit Gomesius in regul. cancell. de ann. possess. q. 32. Scribit etiam Bereg. Fernandus ad l. in quartam. cap. 2 artic. 2 ad leg. Falci. ff. ab-
3 breuiationem scripturæ † multoties causam præbere falsitati, vnde aresto Tolosano, se in eo negotio postulante, decisum; datum literarum cancellariæ Regiæ non scribi per abbreuiationes siue notas. certè & Pedij illius autoritate in l. sed cùm patrono. de bon. poss. ff. pronuntiatur, notis scriptas tabulas non contineri edicto, quo prætor bonorum possessio-
4 nem ex tabulis pollicetur. vnde † testamentum dicitur non posse fieri notis. de quo & in l. hac consultiss. ad fi. de testa. infrà. & in l. Gallus. §. idem credendum. de lib. & posth. ff. & alibi multa. Cæterùm celebratissimus ille Cæsar Augustus
5 † proditur à Tranquillo, præcipuam curam duxisse sensum animi quàm apertissimè scribere: & si verbis ita vel scriptis minus sæpe gratię insit. & inquit Plinius Cęcilius lib. 5. epis.
6 ad Apollinarem, primum se † officium scriptoris existimare, vt titulum suum legat, atque identidem interroget se, quid cœperit scribere, sciátque si materiæ immoratur non esse longum, longissimum si aliquid accersit atque attrahit. quo dicto nosmet accusari videbimur forsitan, ceu multa præter rem adnotantes sæpe. At nos contrà excusari eodem videmur nobis, nihil præter titulum ipsum nostrum agentibus, ac certè semper quantum visum est, conantibus, ne incommodiùs aliquid & frustrà notaremus. quanquàm fateor, nunc exscribentes & emendantes hæc omnia, quæ iuniori feruore quondam cum alijs varijs & multis omnino scripsimus, plura inconcinniora offendimus: quæ non attigimus, curis continuis & negotijs pluribus intereà etiam impediti, properantes, & aliquantùm commoda & minimè mala arbitrantes. de quibus tamen aliorum magis sit iudicium, oportet, studiosorum scilicet & proborum. quibus certè omnia nostra sudant: & scilicet alijs, vt tales fiant.


Sed quis (vt ille ait,) *in hoc adeò mortalis munere vitæ,*
Quis nunc tam bonus est sub aperti lumine solis,
Qui nostras aliquo chartas dignetur honore,

Exci

Excipiátue domo gratas, & munere donet,
Quamlibet exiguo, nec fortè remittat inanes!
Illæ autem iratis plangentes pectora palmis,
Et pedibus redeant nudis, & acerba dolentes,
Sæpè mihi quod frustra ierint, conuitia dicant,
Sæpè reuertantur nudæ inuestésque puellæ,
Et miseræ vacuas iterum referantur ad arcas.
Et genibus sedeant gelidis capita ægra tenentes.
Hanc etenim sedem, quoties spe lusit inani,
Euentus, repetunt, atque hæc sua limina seruant.
Nulla quidem musis nunc est reuerentia, lingua
Nullus honor, docta quantumuis voce diserta.
Nec quisquam est hodie, qui per benefacta mereri,
Ut quondam, studeat præclara nomina famæ.
Quin potiùs lucro insistunt, & rebus inhærent
Augendis quocunque modo, quascunque per artes
Nunc homines, mos est vt temporis huius auaras
Semper habent sub veste manus, dum crescat & arce
Clausuras grauidæ congesta pecunia rumpat.
Vnde nec impendens tantum quis donet amico,
Quantum decedat deterso æruginis æri.
Quòd si fortè aliquis quicquam petat, ocyus inquit:
[illegible]

At etiam, vt sacra monent, adhuc modicum aliquantulúmque sustineamus: nec defatigemur animis nostris deficientes: donec aliquando tandem his mundi tricis expediti, occurramus omnes in virum perfectum, & quiescamus in eo, qui est expletio nostra, salus, & quies credentibus omnino.

Amen.



F I N I S.

ὁ Θεὸς ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.

FINE

Errata hac prima editione admiſsa,

SIC EMENDABIS.

Pag.2.lin.22. ſacer muſis, lege, ſocer Moſis. pag.3. lin.2. char. lege,chao, pag.7.lin.19. [illegible] lege, [illegible] pag.8. lin.35. ישורעת lege, ישורפת. pag.9.lin.18.quod ita habetur.,; expungito & punctum diſtinctionis abſolutæ inibi adponito. Pag. 11. lin. vlti. maritum. lege,meritum. pag.26.lin.30.articu.lege,ac. pag.31. lin.9. fauenſis.lege,fanenſis. pag.32.lin.28.de lege,dan. pag.43. lin.3. florem. lege,floreum. pag.56.lin.penul. caſſ.lege,caſt. pag.61. lin.17.in l.lege,in d.pag.62.lin.21.& Ioannem.lege,& per Ioãnem.pag.68.lin.35.in l.lege,in d.pag.80.lin.2.que.lege,qui,vel quò.pag.81.lin.2.cygand.lege,Cygaud. pag.99.lin.antepenult. chamanes.lege,chamaues.